QUID
DE PUELLIS INSTITUENDIS
SENSERIT VIVES

QUID
DE PUELLIS INSTITUENDIS
SENSERIT VIVES

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI

Ad Doctoris Gradum Promovendus Disserebat

Franciscus THIBAUT

LUGDUNENSIS ACADEMIÆ OLIM ALUMNUS

IN LUGDUNENSI LYCEO PROFESSOR

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX, EDITOREM

28, Via dicta Bonapartea, 28

MDCCCLXXXVIII

Optimo Atque Humanissimo Viro

JULIO MARTHA

In Facultate Litterarum Parisiensi Colloquiorum Magistro

MEMORIS ANIMI PIGNUS

PRÆFATIO

Quum multis aliis, tum vero duabus præcipue causis ad hoc scribendum de *Institutione fœminæ christianæ* opusculum impulsi sumus.

Primum nobis cogitantibus dolere non semel contigit omnem fere Vivis memoriam apud posteros obsolevisse, et vetustate tanquam evanuisse. Profecto enim confiteberis, si perpaulum intueri volueris in scriptores illos, qui, ineunte sextodecimo sæculo, liberaliter instituendæ juventuti operam dederunt, jam in omnium ore esse Erasmum, Rabelasium, Montanium, multosque alios summa laude esse ornatos. Vivem vero, quo neminem alium nec industria, nec ingenio majorem facile dixerimus, quis nostrum ad hanc ætatem legit ? Aut quis novit omnino ? Itaque hasce vindicias, quantum in nobis est, tentavimus.

Deinde aut fallit nos suscepti operis amor, aut nulla unquam magis accommodata fuit quæstio ad hoc tempus, quo vehementer, ne dicamus immoderate, de puellarum institutione laboratur. Quapropter non inopportunum visum est accurate quærere quid vir admirabili natura, exquisita doctrina et singulari judicio, de tanti momenti re senserit. Quis igitur fuerit Vives, quæ præcepta de prima puellarum ætate suo operi inseruerit, et quibus

doctrinis eas instructas esse voluerit, distincte et ordinate ndicabimus. His cognitis, inquiremus quatenus veteris disciplinæ vestigia servaverit, quomodo autem novam inire viam inceperit quæque ab ipso ii sumpserint qui eamdem rem illustraverunt.

Illam habebit utilitatem is argumentorum ordo, ut quid per se valeat opus, de quo disputabitur, quam apertissime videas.

INDEX LIBRORUM

QUI AD HOC CONFICIENDUM OPUSCULUM

PRÆCIPUE CONTULERUNT

H. C. AGRIPPÆ. — *Opera.*
De Incertitudine et Vanitate scientiarum atque artium.
Lugduni, per Beringos fratres. T. II.

ÆG. COLUMNÆ. — *De Regimine principum, Lib. III.*
Romæ, apud Bartholomæum Zannettum, 1607.

DUPANLOUP. — *Quelques conseils aux femmes chrétiennes qui vivent dans le monde sur le travail intellectuel qui leur convient.*

ERASMI. — *Opera.*
Christiani matrimonii Institutio, T. V.
Colloquia, T. I.
De pueris statim ac liberaliter instituendis, T. I.
Basileæ, ex officina Frobeniana, 1540.

ERASMI. — *Epistolarum Libri XXXI, et P. Melancthonis Libri IV, quibus adjiciuntur Th. Mori et Lud. Vivis epistolæ.*
Londini, excudebant M. Flesher et R. Young, 1542.

FÉNELON. — *De l'Education des filles.*

D. E. HIERONYMI. — *Opera.*
Ad Lætam, de institutione filiæ, T. I.
Ad Gaudentium, de Pacatulæ infantulæ educatione, T. I.
Parisiis, apud Claudium Chevallonium, 1534.

M. LUTHERI. — *Opera.*
De instituendis pueris, T. VII.
Witebergæ, per Thomam Klug, 1558.

MAINTENON (Madame de). — *Lettres et entretiens sur l'éducation des filles*, par Th. Lavallée.

. L. VIVIS. — *Opera.*
De Institutione fœminæ christianæ, T. II.
Episcop. Basileæ, 1545.

CAPUT PRIMUM

De Vivis vita

J. L. Vives, natione et genere Hispanus, pridie Martias Nonas, A. M.CCCC.XCII, Valentiæ natus est. Qua quidem urbe, quamvis in multas regiones postea incurrerit, adeo non æquo animo caruit, ut semper non sine summa voluptate, quum infirma atque etiam ægra valetudine esset, ejus « cœlum nitidum, purum, mite, clemens (1) » reminisci soleret.

Nobilissimo loco ortus est, nam majores habuit amplissimis honoribus functos, qui quum magno usui, tum vero ornamento Hispanis principibus fuerunt. Patre imprimis usus est, ut tum erant tempora, a litteris non abhorrente, et adeo severa matre, ut « neminem magis » fugeret atque aversaretur, quum esset puer, sed « nullum mortalem magis in oculis (2) » postea tulerit. Jam non dubitandi locus est, quin ab ineunte ætate hauserit liberales artes quibus ad humanitatem principum liberi informabantur. Exquisitos enim audivit magistros, et in eis Hieronymum Amiguetum, temporibus illis disertissimum, cui totum se tradidit admirabili quodam ad litteras studio concitatus.

(1) Viv. *Præf. ad Somnium Scipionis*, T. I. p. 20.
(2) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, L. II. C. X. T. II. p. 738.

Magna ingenii documenta hoc sub præceptore præbuit, namque latine loquendi peritissimus evasit, quamvis antiquis doctrinis adhuc faveret Amiguetus ac inveheretur in Antonium Nebrissensem illum, quem Academiæ « Complutensis... præcipuum ornamentum » judicabat Erasmus « planeque » dignum « qui multos » vinceret « Nestoras (1). »

Quum se ita gereret ut scientia jam esset perspicuus omniumque doctrinarum studiosus esse videretur, Lutetiam adiit, unde totius eruditionis lux fulgebat, præsertimque « Theologiæ studium, ut nunquam alias æque (2) », florebat. Qua in Academia quadriennium quum versatus esset, tamen non invenit unde ingentem noscendi cupidinem expleret, omnemque pæne operam perdidit. Etenim duo tum excellebant doctores, aut nulla aut prava doctrina præditi, Gaspar Lax Johannesque Dullardus, quorum alter Homerum « nugarum omnium (3) » parentem insanumque senem esse dictitabat, alter autem illud decantare solebat : « Quanto eris melior grammaticus, tanto pejor dialecticus, et Theologus (4). »

Itaque eorum ineptias atque « nugacissimas nugas » tam parvi fecit, ut sæpissime postea optaverit, se « non tam in illis » adhæsisse, quæ, « quoniam tenero adhuc animo » summoque studio excepta erant, « ideo tam tenaciter » hærebant, « ut elui nulla... arte (5) » possent. Non igitur mirandum est Vivem, ut acerrimo

(1) Erasm. *Epist. J. L. Vivi,* L. XVII. T. I. p. 755.
(2) Id. *Epist. Nic. Everardo,* L. XVII. T. I. p. 751.
(3) Viv. *Ovatio Virg. Mariæ,* T. II. p. 144.
(4) Id. *De caus. corrupt. art.* L. II. T. I. p. 361.
(5) Id. *In Pseudodialecticos.* T. I. p. 273.

sophistarum odio inflammabatur, ab ista Cimmeriorum schola discessisse, in qua nihil, nisi illud esset « amarissimo condimento conditum, horrida atque inculta barbarie concinnatum, istis sophismatum ineptissimis differtum tricis (1) », disci posse putabat. Quamobrem in Flandrias profectus est, ubi meliorum litterarum studia vigebant, Brugasque primum adiit, A. M. D. XII, quia sperabat sibi paratiora omnia ad discendum fore, et in hac bene morata constitit civitate, cujus « ratio administrationis..., educatio, ac civilitas populi..., et incredibilis in eo quies ac justitia per gentes (2) » celebrabantur.

Quamdiu Brugas incoluerit, haud facile dixerimus. Illud modo constat eum Lutetiam esse reversum, ut *Christi Jesu Triumphus*, A. M. D. XIV, ederetur; Lutetia autem discedentem, rursus petiisse Flandrias et in illud Musarum « hospitium », Lovanium, concessisse. De Lovanio non inutile est ibi paucis exponere, inde manifestum fiet quæ Vivis fuerit conditio.

Tunc multi optimarum artium studiis eruditi viri quum Academiam, tum vero Buslidianum Collegium, « totius Cæsareæ ditionis ornamentum (3) » illustrabant. Erat Jacobus Ceratinus, vir probe doctus. Erat Hermannus Wuestphalus, in instituenda juventute prudentissimus. Erat Adrianus Suesonius, præter singularem utriusque linguæ scientiam, moribus mire candidis. Erat Rutgerus Rescius qui non vulgarem doctrinam summa modestia decorabat. Erat Adrianus

(1) Viv. *In Pseudodialecticos*, T. I. p. 280.
(2) Id. *Epist. cons. et senat. Brug.*, T. II. p. 889.
(3) Erasm. *Epist. J. Sucqueto*, L. XXIII. T. I. p. 1261.

Barlandus, vir nullo fuco et prompta quadam ac pura latini sermonis facilitate (1). Cunctos quidem candidos et humanos expertus est, mox etiam eum cognovit quem constanti fide prosecutus est, egregie subtilem illum scriptorem, Erasmum. Erasmus vero, quamvis in intimam summorum virorum familiaritatem intravisset, ne prosperis quidem elatus, nihil de solita modestia detraxerat. Imo, quum insita facilitate atque liberalitate cuicumque indulgeret, non is erat qui juvenem acerrimo studio incensum repulisset.

Jam incredibile est quantopere Vives quotidie et scribens et legens et commentans, communicante, monente, favente Erasmo, profecerit. Primum studium Græcæ linguæ, nunquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum, hoc rursus sub præceptore renovavit. Ingens deinde concepit odium in sophistas quibuscum a teneris annis fuerat. Vix enim, A. M. D. XVIII, absolverat haud contemnendum illum librum, *De initiis, sectis et laudibus philosophiæ*, quum amarissimum alium, *In Pseudodialecticos*, composuit. In quo per jocum acutissime Parisienses illos doctores irridebat qui nihil aliud, nisi « insane et loquacissime delirare (2) » docebant juventutem. Majora etiam ausus est, nam antiquos lacessere et vellicare incepit, et quum multos alios, tum vero reprehendit Aristotelem, virum sane « ingenii acumine, judicio, dexteritate, prudentia, diligentia, atque studio omnium cujuscumque ætatis

(1) Erasm. *Epist. B. Buchoni*, L. XVII. T. I. p. 756.
(2) Viv. *In Pseudod.*, T. I. p. 272.

scriptorum facile (1) » præstantissimum, sed quasi consulto et suas et aliorum sententias obscurantem.

Multis autem Vives, ut erat ejus audacia, displicuit, præsertimque inimicitias subiit Theologorum, qui jam ex eo tempore pertinaciter eum insectati sunt. Itaque ea causa Lutetiam aliquantisper proficiscendi ei fuit, et ibi cum doctissimo et illustrissimo viro, Budæo, aliquod commercium habuit ; sed inter ambos societas fuit, nunquam amicitia, quia non deerant qui in Budæi animo « cæcæ æmulationis fomites residere judicarent (2). »

Lovanium quum non ita multo post reversus esset, privati præceptoris munus exsecutus est, instituendumque Wilhelmum Croium, Toletanum archiepiscopum, libentissime suscepit. Mox autem eum amisit Mæcenatem, immaturo interitu abreptum, veluti flosculum tenerum « in ipso exortu (3) succisum », nec ullum percepit fructum ex illo opere quod defuncto dedicaverat, *In septem Psalmos pœnitentiales meditationes septem.* Eodem tempore docebat Hieronymum Ruffaldum, Ecclesiæ Petri Gandensis abbatem, Antoniumque Bergensem, Honoratumque Joannium, et Petrum Malvendam, et illam origine doctrinaque nobilissimam mulierem, Menciam de Mendoza.

Interea quum jam Lovanii celebraretur et in omnium ore versaretur, « docendi magister » designatus est, et ad explanandos græcos auctores incubuit. Quod quidem quum jam per se, tum multo magis erat

(1) Viv. *De caus. corrupt. art.*, T. I. L. I. p. 336.
(2) Bud. *Opera.* Basil. 1545. — *Bud. vita.* T. I. p. 13.
(3) Erasm. *Epist. Budæo*, T. I. L. XIV. p. 682.

animadvertendum, si reputaveris quam male id temporis audiret ea lingua, non ita cognita, nec a multis culta, paucis certe grata et probata, imo pluribus suspecta et invisa, quam « homines... ex theologorum ordine..., Appiana pertinacia præditi, pravarum opinionum institricem esse... et affertricem (1) » fremebant. Latinos autem non neglexit, et in hoc genere illa opera explicuit, *Ciceronis Leges, Philelphi Convivia, quartum Rhetoricorum ad Herennium librum, Maronis Georgica, Scipionis Somnium, De Senectute librum.* Alia scripta simul edita sunt, *Ad Cornelium Sullam ne deponat dictaturam Declamatio, Pro Cæco contra Novercam Declamatio, Pompeius fugiens, Fabula de homine.*

Hunc qui audiebant commentantem, canorum oratorem et volubilem esse dicebant, addebant etiam industrium, diligentem, et ad quævis aptum et habilem. Cæterum quantam sui injecerit admirationem, quum e multorum aliorum testimoniis, tum vero e quadam Thomæ Mori, qui ipse tum fuit, epistola maxime intelligi potest. Is enim Vivis operibus « neque magis elegans, neque eruditum quidquam » jamdiu vidisse se negabat, nec quemquam alium fere reperiebat, « qui tam virente ætate, tam absolutum cyclopedias orbem (2) » absolvisset.

Nihil igitur ejus gloriæ deerat. Ideo quum aggressus esset Erasmus Patrum latinæ Ecclesiæ opera instaurare, ut emendatius et intelligentius legerentur, Vives

(1) Bud. *De stud. litt. recte instituendo*, T. I. p. 5.

(2) Erasm. *Epistolæ.*

Epist. Thomæ Mori Erasmo, T. I. L. XIII. p. 640.

ad hanc perficiendam rem, quæ imprimis difficilis videbatur, omni cura incubuit, scribendosque de Augustini *Civitate Dei* commentarios suscepit. Quantam in conquirendis, evolvendis, comparandisque exemplaribus diligentiam adhibuerit, incredibile est. Quippe singulari ingenii felicitate mirabilique industria indagavit, explicuit, illustravit, et in pristinum nitorem restituit hoc opus, quod « tam sero per typographos prodiisse in publicum (1) » dolebat Erasmus. Sed adeo non retulit illam quam sperabat gratiam, ut obtrectationem effugere non potuerit. Etenim tantum, pro meritis doctorum suffragiis, percepit invidiam et odium, vehementissimeque, tanquam si sacrilegium admisisset, a « monachis » accusatus est qui « nihil... viri præter barbam, eruditionis ne pilum quidem, prudentiæ non multo plus (2) » habebant. Erat autem eo animi robore sæptus, ut quodvis potius periculum sibi adeundum, quam a sperata eruditionis gloria discedendum putaret. Itaque temperavit a conviciis, istosque rabulas ac latratores despexit.

Attamen animum tantopere ad hoc absolvendum opus intenderat, ut ex eo tempore numquam bene valuerit; quippe cui « fracto corpore cuncto, et nervis velut lassitudine quadam et debilitate dejectis, in caput decem turres incumbere... indicendo pondere, ac mole intolerabili » viderentur. Imo et cathedram ascendere et juventutem docere pæne destiterat, tantumque « scholarum tædium » perceperat, « ut quidvis »

(1) Erasm. *Epist. A. Fonsecæ*, T. I. L. XXVIII. p. 1378.
(2) Id. *Colloquia*, T. I. p. 588.

facere, « quam ad has redire sordes, et inter pueros versari (1) » mallet.

Antverpiam igitur, curandæ valetudinis gratia, invisit; ibi autem quum non convalesceret, Brugas commigravit. Hac vero in urbe diutius commoratus est quam putabat, quum propter loci quamdam amœnitatem, tum propter adventum Henrici octavi, Britannorum regis, quem exspectabat sibique jamdudum amicitia conciliaverat. Ampla ab eo accepit beneficia, nam, quum magna mercede conductus esset, in Britanniam, A. M. D. XXIII, accitus est, ut Regis filiam, Mariam Tudorem illam, erudiret. Jam singulari omnium exspectatione exceptus est, præsertimque fautricem habuit reginam ipsam Catharinam, « fœminam egregie doctam (2) », cui ordine illa dicavit opera : *De ratione studii puerilis* et *De institutione fœminæ christianæ*.

Non jam in angustia rerum versabatur, eumque vitæ cursum tandem tenebat, ut in otio cum dignitate esset. Nec ita multo post in Oxoniensi Academia artium gradus adeptus est, Collegiique cui *Corpus Christi* nomen est « socius » factus est. Attamen abhorrebat ab aula, quamvis ejus domum illustrissimi viri frequentarent, seque, quantum poterat, ab ea removebat, ut studiis indulgeret quibus inimica est vaga principum vita. Oxoniæ, quanquam « cœlum istud ventosum, densum, humidum..., et victus ratio (3) » non admodum placebant, in litterato otio plerumque

(1) Viv. *Epistolæ.* — *Epist. Erasmo*, T. II. p. 100.
(2) Erasm. *Epistolæ.* — *Epist. J. Vergaræ*, T. I. L. XIX. p. 846.
(3) Viv. *Epistolæ.* — *Epist. G. C. Nozereno*, T. II. p. 114

vivebat. Constans tamen et certum domicilium Oxoniæ non habuit, quippe nonnullis e documentis eum apparet nunc in Gallia, nunc in Flandriis esse peregrinatum, Brugasque non semel revisisse, ubi librum illum et verbis et rebus illustribus refertum, A. M. D. XXVI, edidit : *De subventione pauperum, sive de humanis necessitatibus.*

Quum sibi omnia prospere jam succedere videret, e summo illo fastigio præceps dejectus est, et quæ conditio quietis plenissima fore videbatur, in ea maximæ tempestates eruperunt. Repudiatam enim ab Henrico octavo Catharinam quum tueri ausus esset, acerrimam invidiam Regis subiit, nec ullam aliam ob culpam, nisi propter animi candorem veritatisque amorem, rapi in carcerem jussus est. Nullam vero profudit querelam, nec supplex in conspectum judicum venit, et ita se gessit, ut nec iræ indulserit unquam, nec acceptæ injuriæ servaverit memoriam. Ereptus autem tanto periculo libertatique redditus, in Flandrias, A. M. D. XXVIII, reversus est, litterisque recreatus se ad pristina studia revocavit, et Brugis habitavit ubi jam, A. M. D. XXIV, uxorem nomine Valdauram (1) duxerat.

Absolverat interea opus quod *De officio mariti* inscribitur, aliudque cui nomen est *De concordia et discordia in humano genere* Carolo quinto dicaverat. In quo sapientissime, ut ejus erat judicium, quærebat qua ratione cives inter se concordiam ac pacem servarent, compressaque male civilia dissidia obruerent, priusquam eo venissent res, unde eas postea

(1) Viv. *Epistolæ.* - *Epist. Erasmo*, T. II. p. 103.

vel optimus quisque non posset, etiamsi maxime vellet, eximere. Non minorem adhibebat prudentiam in alio scripto cui *De pacificatione* nomen est, et quum multa alia audacter, tum vero illud imprimis dicebat atque prædicabat, neminem christianum vere vocari posse, nisi concordiæ studeret, neque gladio, neque igne, sed caritate atque benevolentia esse tuendam religionem.

Confecit etiam, A. M. D. XXXI, illud immensi ac prope infiniti laboris opus, *De corruptis artibus*. In quo non explicate, non abundanter, non illuminate tantum patefecit quibus de causis grammatica, dialectica, rhetorica, philosophiaque fœdissima barbarie perculsæ jacuerint; sed etiam revocare velut ab Inferis aggressus est has ipsas quas dicimus artes, quæ densissimis inscitiæ tenebris obducebantur. Jam in hoc perficiendo munere usque eo diligens et industrius fuit, ut omnes quum græcos, tum latinos auctores legerit, nec philosophorum modo, aut historicorum, poetarumve cognitionem assecutus sit, verum etiam jus civile, medicinam, theologiam, mathematica perdidicerit, investigârit, explanârit.

Aliud denique inchoaverat opus, *De veritate christianæ fidei* ; sed quum in moderati atque honesti otii portum confugere debuisset, tum majore totius valetudinis perturbatione exanimatus est, et summum illud studium remisit quo ab ineunte ætate fuerat incensus. Tum conticuêre ejus litteræ, adeoque familiaris facta est podagra, « ut jam minus..... ex assuefactione gravis (1) » esset. Ingravescente autem in dies ætatis

(1) Viv. *Epistolæ*. — *Epist. Erasmo*, T. II. p. 114

imbecillitate, in illum morbum incidit ex quo postea non convaluit. Mortuus est igitur pridie Maias Nonas, A. M. D. XL, et in Donatis Brugensis Ecclesia sepultus est ille præstantissimo ingenio vir et immortalitate dignissimus.

Quid sit de eo existimandum, paucis nunc colligendum est.

Multi sane eodem tempore exstiterumt scriptores, quorum magis percrebuit fama ; paucissimos tamen ex iis reperias qui pluribus virtutibus floruerint. Mira in eo lenitas, mira suavitas, mira humanitas inerat, tantaque persolvendo in omni officio moderatio, ut eum suspicerent atque amarent omnes ii quibuscum commercium habuit. Cæterum eo magis eminet ejus lenitas, quod, quum criminationibus adversariorum sæpissime fuerit expositus, tamen nunquam vel ad repellendam, vel ad referendam injuriam adductus sit, et magis probitatis commendationem, quam ingenii famam, sibi nihil arrogans, aliis plurimum tribuens, aucupatus sit. Itaque prœliorum suæ ætatis potius spectator fuit, quam particeps et socius et adjutor, ejusque vota pacis et togæ, non belli aut armorum fuerunt.

Quamvis mansuetissimus in moribus fuerit, tamen constantem et fortem civem se gessit, ut neque Henrico octavo, neque ipsi Carolo quinto, quem monendo leviter perstrinxerat, cesserit. Res secundas et ad voluntatem fluentes quum moderate ferret, adversas fortiter, ut viro dignum, tulit, et in omni vita præclaram quamdam firmitatem semper servavit.

Incredibilis hisce virtutibus adjicienda est eruditio, qua vel Budæo, vel ipsi Erasmo æquandus est. Nullam

enim fere liberalem disciplinam dixeris, quam non excoluerit, imo non et illustraverit.

Quod ad religionem attinet, quid senserit satis perspicuum est. Omnino se cohibuit ab his contentionibus quæ in illam turbulentissimam ætatem eruperunt. Namque quum docti, in his maximis opinionum procellis asperitatibusque rerum, super religione suspecti plerumque haberentur, nec satis tuti inter imperitorum gregem (1) essent, noster incolumis pæne permansit. Catholicam sane religionem retinuit, sed illam quam liberalem, elatam, generosam dicimus, nec tamen unquam reformatam partem amplexus est : quippe qui abhorreret ab iis hominibus, qui « extra vetita septa, et firmata partim divinis legibus, partim antiquo Ecclesiæ consensu ac ritu (2) progressi erant. Quare nec auctor sectæ fuit unquam, nec suasor, nec impulsor ; sed in illis viris annumerandus est, qui, turbidissimis in temporibus nati, nihil inter pugnantium clamores et tela, nisi animos efferatos placare et reconciliare conati sunt.

Imo asperrime de Luthero ipso locutus est, quem maximarum calamitatum auctorem fuisse dicebat. Opinionem sane immodicam ! Sed quis nescit quantum ad veterem disciplinam evertendam valuerit ille, « qui primum » ausus est « quædam in dubium revocare, initio modice ac verecunde, mox aperte, non solum ut disputaret, sed ut negaret, abrogaret, tolleret, permulta tanta confidentia, quam si de cœlo et arcanis divinitatis esset delapsus, aut de calceo vel pallio suendo

(1) Erasm. *Epist. Herm. à Novaquila,* T. I. L. XX. p. 1031.
(2) Viv. *De Europæ statu,* T. II. p. 337.

foret quæstio. Ea fenestra aperta, jam non quæ speciem aliquam dubitandi possent præbere, sed quæ per tot annos accepta, et approbata essent ab Ecclesia, rejecta sunt, ut falsa, inutilia, noxia (1). »

Ergo Catholicam religionem, ut id brevi expediamus quod sentimus, dissolute professus est Vives, nec tamen unquam Lutheranæ parti favit. Sed ejus sit finis vitæ ; jam ad *Institutionem fœminæ christianæ* veniamus, et quæ sit hujus operis summa commemoremus.

(1) Viv. *De Communione rerum ad Germanos inferiores* T. II. p. 923.

CAPUT II

Quæ sit « Institutionis fœminæ christianæ » summa explicabitur.

Ut a cunabulis ipsis oportere oratorem informari censebat ille quidem Fabius ; sic ab unguiculis protinus, ne dicamus dum fœtus adhuc in officina naturæ fingitur, necesse esse puellam institui existimat Vives.

Ergo statim ut nata est, jam erit attendendum quemadmodum nutriatur, quoniam in hac maximi momenti re non timendum est, ne parentes diligentiores esse videantur. Principio non tradetur nescimus cui mercenariæ nutrici, namque « dimidiatæ » vere sunt matres eæ « quæ pariunt tantum (1) », nec quidquam tam contra naturam est, quam ut mulier, id quod genuit, alere recuset. Sed materno aletur lacte, quum vix quidquam aliud, vel ad corporis salubritatem firmitatemque, vel ad animi mores indolemque, æque valeat. Nonne præterea suam esse filiam verius credet mater illam, quam non in utero tantum gestavit atque peperit, sed etiam cui sanguinis vitæque partem transmisit, cui primum leniter arrisit et blandita est,

(1) Erasm. *De puer. stat. ac lib. instituend.*, T. I. p. 424.

cujus prima oscula accepit, cujus denique infracta murmura officiorumque implorationes captavit (1)?

Quæ in hunc modum accurate disseruit Vives, se non invenisse omnia et nonnullis a scriptoribus quædam sumpsisse libentissime confitetur. Namque quum multos alios, tum vero Plutarchum, Aulum Gellium Philelphumque potissime secutus est, qui infantes ab ipsa matre ali jam antea jusserant, egregieque animadverterant, mira naturæ solertia, geminas mammas mulieri dari, ut, si geminos etiam uno partu pareret, tamen illis non deessent pares lactis fontes quibus satis abunde sustentari possent.

Quod si morbus aliquis aut ægra valetudo obstiterit quominus id efficiat mater, hoc saltem summo studio curandum erit ut optima deligatur nutrix, quæ et moribus casta et ingenio providens sit, ne tener fœtus aut malam valetudinem, aut ingenii corruptelam cum lacte simul imbibat. Etenim magni, mehercule, interest quæ et qualis sit ea mulier, quæ tantum apud teneram infantium ætatem valet, quia puella cum ea quotidie domi vivere debet. Cæterum quis nescit ita natura comparatum, citius lædere mala quam prodesse bona, nos esse tenacissimos earum rerum quæ in primis percipiuntur annis, ea magis in animo hærere quæ deteriora quam quæ meliora sunt, et usque in adultam ætatem manare vitia ab ipsis vitæ crepundiis hausta ?

Quare matrem, post Platonem atque Plutarchum, jubet et ipse Vives diligenter cavere ne garrula, ne vitiosa, ne lasciva sit nutrix ; namque ut corpori prodest, id quod in proverbio est, cibus ille qui quotidie

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. 1. p. 650.

sumitur, sic lac a corpore, quod regitur honesta mente, haustum, has ipsius mentis virtutes in infantis naturam arcana contagione quadam deferre creditur (1).

Jam vero nemini satis esse videatur matrem peperisse, quippe quæ genitricis munus non omnino absolverit, nisi primi pædagogi partes et ipsa susceperit. Attamen in hoc præstando officio mira est nonnullarum matrum negligentia, quæ diligentius catulum quam filiam curare solent! Plus est autem « bene institui, quam bene nasci (2) », nec mediocris artis est primam infantiam fingere, ex qua potissimum omnis vita pendet. Itaque extra controversiam illud certe ponetur, nullam esse tam recentem ætatem quæ ad institutionem quamdam non habilis sit, quia peculiaris imitandi facultas in ipsis pueris inest. Proinde si cogitârit mater quam lubrica natura sit, non sinet ullam ævi partem incultam abire, in qua parari possit aliquid, quod suæ filiæ magnam utilitatem afferat, nec committet ut prima ætas sine bona fruge effluat; sed verius existimabit puellam esse novalem quamdam, suaque culpa deteriorem fieri posse, et ob eam ipsam causam ei instillandum esse aliquid, ut nec vexetur ætas, nec eruditionis fructus abeat (3).

Vetat etiam Vives, id quod jam et olim Plato nutrices admonuerat, puellæ narrari inanes illas anilesque fabulas, quarum ineptia adeo perfunditur atque debilitatur animus, ut jam inde nihil serii, vel in sermone, vel in consiliis, vel in vita, vel in usu fortunæ, ferre

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. I. p. 650.
(2) Erasm. *Colloquia. — Proci, et puellæ*, T. I. p. 585.
(3) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. C. II. p. 651.

possit. Non est item deterrenda nocturnarum lemurum, aut larvarum, maleficarumque strigum nominibus, quæ a mulieribus confingi stultissimo errore solent, ne, quum adoleverit, terrore male afficiatur.

Sese etiam abstinebunt parentes ab impudicis verbis, admodumque cavebunt ne risu, ne nutu quidem, turpia probare videantur; sed erunt cuncta ita casta, ita pura, ita sancta, ut semper ante oculos puellæ modestiæ virtutisque imago appareat. Multum enim iis movemur exemplis quæ velut de vicino contemplamur, meliusque ea effingimus ad quæ ex proximo componimur.

Quamvis non perinde doctam ac pudicam esse puellam oporteat, tamen veniet tempus, quo jam ad litterarum studium habilis esse videbitur (1); quippe non nata est ut soli sibi vivat, sed ut in hominum societate et communitate versetur. Ergo ante omnia percipiet prima linguæ rudimenta, litterarumque sonos postea docebitur et diserte proferet Sciet denique ex litteris alias vocales, alias consonantes vocari, quot et quales sint, et quibus de causis sic appellentur. Non enim parvi refert ad insequentem disciplinam quomodo syllabas et verba pronuntiare consueverit, ne perperam, ne barbare, ne absurde, sed clare decenterque loquatur.

Operam formandis litteris inter hæc omnia dabit, et recte celeriterque simul per lusum scribere assuescet. Illud vero imprimis cavebitur ne, exercendæ manus gratia, inepti « versus..., aut vana cantiuncula » ad imitationem ei proponantur, sed aliquod « grave »

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. III. p. 651.

dictum et « prudens » extractaque « e Litteris sacris aut philosophorum monumentis sententiola (1) ». Non enim tenerum corpus manu, ut aiunt, melius fingitur, quam vacuus adhuc animus, mollissimæ ceræ udæque argillæ more, eos retinet postea mores quibus instituitur : ut sæpe in tenera arborum cortice incisæ litteræ, sic inscripta in anino hæc virtutis laus, tempore demum aucta et quasi confirmata, concrescit.

Vivem vero non novam omnino muniisse viam, sed in nonnullorum scriptorum vestigiis aliquando institisse, animadverti opportune potest. Namque jam dederat olim Fabius ejusmodi præcepta; quippe informandum oratorem quum professus esset, tamen vel minima amplexus est, nec ullam institutionis contempsit partem, sed in ipsam rerum tenuitatem non sine magna sapientia et jucunditate descendit. Suaserat item Hieronymus ut instituendis puellis traderentur aut buxeæ, aut eburneæ litteræ, eæque suo cuique nomine vocarentur; cum his haud injucunde infantem ludere, nunc ordinem litterarum servari, nunc omnino per jocum turbari, jam mediis ultimas, ultimis autem medias misceri, neque sono tantum, sed etiam specie et forma eas agnosci posse, donec inexperta ac tremente manu parvum stylum in cera quadam ducere assueverit (2).

Attamen non deerant multi qui contenderent immaturum esse, ne crudele dicamus, tantum puellæ laborem imponi, nec eam, si septem annis minor foret, litteris

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. 1. C. IV. p. 656.

(2) Divi Eusebii Hieronymi. *Opera.* Parisiis, 1528.
Ad Lætam de institutione filiæ, T. I. p. 19.

instituendam esse, putarent. Sed non adeo imprudens ætatum fuit Vives, ut immodicam exigeret operam; imo egregium servavit modum, nam ea de re deliberationem ad parentum suffragium omnino rejecit (1). Non quod mulierculas audiret illas, quæ, crudeli misericordia et inimica benevolentia, puellam inter ancillarum ineptias diu detinendam esse censebant, ac prorsus a litteris, tanquam a veneno, arcendam existimabant. Illud tantum præscripsit, in discendis studiorum rudimentis, nihil non et cognitu jucundum, et puerilibus ingeniis quasi cognatum esse.

Quum pervenerit rite parata puella ad hanc firmiorem ætatem, qua non jam puerilia oblectamenta sufficiunt, sed graviores artes requiruntur, tum grammaticæ studebit, sed illi apertæ ac simplici, magis quam anxiæ ac modestæ grammaticæ; nam ut in dicendo scribendove nocet normam omnino negligere, sic eam odiose servare ineptissimum est. Quare in manu tersum et nitidum libellum habebit aliquem, in quo de verborum declinationibus, vi, regimine, generibus, constructione, figuris, distincte et illuminate disputabitur. Sic facilem sibi comparabit ad alias artes aditum, quo si careret, per omnes disciplinas tanquam cæca aberraret, nec optimarum rerum cognitionem unquam consequeretur. Nolet tamen omnia scire, quum inutile plane sit investigare qua causa masculinum aut femineum sit hoc aut illud verbum ; sed usum consuetudinemque auctorum, qui boni atque electi exstiterunt, quam diligentissime observabit (2).

(1) Viv. *De Inst. fœm. Christ.*, T. II. L. I. C. III. p. 652.
(2) Id. *De ratione studii puerilis*, T. I. p. 1.

Quam commendat Vives grammaticam, ea quotidie exercitationibus alenda, et tanquam confirmanda est. Itaque non sine ingenti fructu et emolumento in latinum oratiunculas puella vertet, initio sane faciles, paulatim vero difficiliores, partim graves et sanctas, partim festivas et urbanas, quibus recti honestique leges ante oculos, quasi lumen aliquod, sponte eluceant.

Fabellas etiam scribet quarum capitalia lineamenta ante ducentur atque trahentur ; sic distributo, ut fieri solet, in quasdam partes argumento, nihil aget aliud, nisi ut diversas inter se orationis partes concinne devinciat atque conjungat aptaque compositione commendet, ac, omissa inventionis cura, se totam in limando stylo collocet.

Dehinc nihil obstabit, quum ætate creverit et jam mente firmior evaserit, quin graviores auctores degustet, et quum multos alios, tum vero historicos odoretur, apud quos quid recte, quidve perperam factum sit, tanquam in speculo apparet. Quare latinos delibabit scriptores, Cæsarem scilicet, Justinum, Florum, Valerium-Maximum, Ammianum-Marcellinum ; græcos autem, Xenophontem, ac Plutarchum (1) illum apud quem multa de Deo, multa de juventutis disciplina, multa de patientia, multa de justitia, multa de temperantia, inveniuntur.

Næ multa etiam « de componendis affectibus » sedandisque animi tempestatibus leget, namque « vehementer hac parte philosophiæ indiget (2) », qua melior

(1) Viv. *De Ratione studii puerilis*, T. I. p. 7.
(2) Id. *De Officio mariti*, T. II. C. III. p. 624.

efficitur mens, et rationis vis excitatur, ac instillatur virtutis amor, sapientiæque adversus opinionum corruptelam præcepta traduntur. Quidquid autem ad bene recteque vivendum spectat, quum apud Platonem et Plutarchum, tum apud Tullium atque Senecam reperitur, quia non alios facile dixerimus in quibus, velut in opimo fertilique agro, lætior pulchrarum sententiarum memorabiliumque verborum seges luxurietur.

Diligentius vero investigabit atque comprehendet scriptores qui de domesticarum rerum usu scripserunt, et quum alios, tum in primis his de rebus loquentem aut Aristotelem aut Xenophontem noscet; posteriores autem, ut quisque his quos dicimus propius peculiariter accesserit. Quare paucula de quotidiana victus ratione, nec non de simplici quidem ac facili medicina odorabitur, qua re maxime est opus in morbis, præsertim quum tanti non sint, ut propter illos nescimus cujus medici imploranda opera flagitandumque auxilium sit.

Quod si poetis aliquando delectetur, non illos attinget quos ex urbe sua pellendos Plato censebat, improbati atque damnati perinde fuissent; sed illos quorum carmina quamdam legenti prœbent utilitatem, inter quos Prudentius, Arator, Prosper, Juvencus, Paulinusque numerantur (1). Ea enim Vives in judiciis severitate est, ut illud satius esse existimet, « cæcas et surdas... ingredi in vitam (2) » puellas, quam ea arcano contagio quodam imbibere quæ ad incendenda flagitia valent. Quare vellet sacerdotes ipsi, (id quod aut parvæ aut

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. V. p. 669.
(2) Id. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. V. p. 657.

nullius utilitatis esset), quum turbam in Ecclesia docerent religionem, illas tandem respuerent ineptias quibus audientes ad somnum excitare solent, et de fugienda lascivorum scriptorum lectione vehementissime clamarent. Non igitur mirum sit ne alium quidem ei videri justius in oris ignotis, quam Ovidium Nasonem, exulasse, qui, quum multa alia, tum vero impudentiam certis consiliis turpiter et flagitiose docuerit. Cæterum ea jam parentum fuerit cura, ut ipsi ante puellam omnia quasi degustent, et quæ legenda, quæque vitanda sint, sedulo prudenterque demonstrent.

Postremo satis contulerit vel exigua quædam naturæ cognitio. Attamen in hac discenda tam implicata scientia (ut tum erant tempora) primum sit illud prœceptum, non ea scrutari ad quæ pervenire nequimus, sed ea modo investigare et exquirere quæ vel ad vitæ utilitates vel ad corporis usum attinent. Quare dementiæ esse meræ judicabat longissime disserere de « instantibus », de motu « enormi » et « conformi », aut quærere cur, quando, et quomodo quidque fiat. Quod ad alias scientias levioresque artes attinet, quid senserit Vives non ita perspicuum est; tamen eas parvi fecisse omnino videtur.

Facile jam suspicari possumus, quum hanc institutionem fuse copioseque Vives explicuerit, quantopere illa librorum portenta contempserit, quæ per medium ævum de bellis et amoribus tam pervulgata præcepta decantabant. De cunctis quidem illis « pestiferis » næniis ita severe sentiebat, ut acervatim prohibendæ, et medio auferendæ, ignique sine exceptione ulla comburendæ esse viderentur. Quo in genere, quum « in

Hispania » florebant « *Amadisus, Splandianus, Florisandus, Tirantus, Tristanus* » ; tum « in Gallia » vigebant *Lancilotus a lacu, Paris et Vienna, Pontus et Sydonia, Petrus Provincialis et Maguelona, Melusina,* domina inexorabilis : in « Belgica » autem « *Florius, Albus flos, Leonella, Cana morus, Curias et Floreta, Pyramus et Thisbe* (1) » in maxima gratia peræque erant.

Nec deerant multi alii « in vernaculas linguas transfusi » libri, hoc est « infacetissima *Facetiæ* Poggii, *Euryalus et Lucretia, centum Fabulæ* Boccatii (2) » quibus omnes propter incredibilem qamdam voluptatem pascebantur, delectabantur, perfruebantur. Quare non satis mirari poterat, quod, quum « prœter quædam verba ex penitissimis scriniis Veneris deprompta (3) » nihil haberent ista opera, quo legentes oblectarentur, nonnulli adeo hebetes essent patres, qui concederent ut has ineptias puellæ legerent, nec non se ostenderent de hac re nihil laborare.

Sciet autem puella, quæ in his legendis delectationem capit, se nihil aliud nisi merum venenum bibere, et in mentem revocabit qui et quales ii fuerint qui ea opera composuerint. Jam plerosque fuisse « otiosos, male feriatos, vitiis ac spurcitiæ deditos (4) » meritoque ultra Sauromatas deportandos probe agnoscet. In quibus ne eruditionis quidem umbra, sed inanis quædam et præsens voluptatis titillatio reperitur, nec non

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. V. p. 667-658.
(2) Id. *Ibid.*, p. 658.
(3) Id. *Ibid.*, p. 658.
(4) Id. *Ibid.*, p. 658.

incondito insulsoque stylo coacervatæ, magis quam compositæ nugæ, quibus nihil stultius dici queat. Sic exempli gratia, vel viginti hostes occidit, aut armis, terrore, periculoque mortis fugat miles ille gloriosus, qui quocumque infert aut illatum repellit bellum! Imo triginta, imo centum hostes solus occidit! Ecce autem alius qui, quum innumerabilibus fere vulneribus, in pugna, adverso corpore, confossus sit, tamen ingenti providentia incredibilique naturæ miraculo vivit! Vivit? Imo et major, et fortior, et validior evadit!

Opportunius, pro istis pæne anilibus ineptiis, leget puella et illos quos diximus auctores, et hos qui non ad excolendam modo sed ad firmandam etiam pietatem valent, seque potissimum iis imbuet libris qui animum in Deum extollunt, pectusque in chistiana quiete componunt. Itaque habitabit in *Evangeliis*, e quibus fons perfectæ religionis manat, et in *Apostolorum Epistolis* Patrumque Ecclesiæ (1) operibus, quippe nec planius, nec fusius, nec citius apud alios discere posset quid ipsa sit, et quo itura, et quomodo olim e peccato fuerit redempta, et alia quæ ne unum quidem e Christianis omnino ignorare fas est. Sed quid multa? Religionem sine qua nihil recte, sed quacum omnia recte fiunt, institutionis et vitæ fundamentum putabit.

His nonnulla addidit Vives quæ ad domesticum usum spectant; sed quum multa alia, tum illud imprimis præcepit, ut puella semper alicui operæ studiose vacaret, nec ullarum rudis esset « artium, quæ manibus tractantur (2). » Itaque eam admodum prohibebat

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. V p. 659.
(2) Id. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L I. C. III. p. 652.

colere, amare, ornare « puppas », ut fieri solet, « imaginem quamdam idolatriæ » et quæ « comptus ac ornatus cupiditatem docent augentque », maximeque commendabat « scruta illa, quis simulacra totius domesticæ suppellectilis in stanno aut plumbo sunt expressa (1). »

Quanta sit hujus haudquaquam aspernandæ domesticæ scientiæ utilitas, facillime intelligitur. Puella enim in manu quod agat semper habebit, seu in cubiculis, seu in cænaculis aut ipsa componit quæ oportet, aut aliis quid faciendum sit præscribit. Postea vero, quum nupta erit, non in domus « angulo » quodam sedebit molliter et otiose, sed aliquid nectendo, suendo, texendo, tempus jucundissime consumet. Curabit ut quidquid domi est jam in suo cuique loco, id est in thalamis, in arcis, in vestiariis ordine ponatur; nam his rebus ita distributis, quid desit, quid superfluat, quid emendum, quid vendendum, quid denique sarciendum, tanquam in oculos semper occurret. Quid multa ? Aderit ancillis, neque si eas coquere, texere, suere, verrere jusserit, inepte trepidabit, ut sæpissime fit, æstuabit, festinabit (2).

Ne aliam quidem maximi momenti rem omisit, de qua nemo, vel si remotissima repetes, ut nobis videtur, antea disseruerat, id est « culinariam ». Jam quanti eam fecerit « artem » quæ forte nonnullis vulgaris esse et vilis videbitur, ex hisce verbis perspicuum est :

« Discet ad hæc culinariam, non illam popinariam, sordidam, immodicorum ciborum, et quæ pluribus

(1) Viv. *De Instit. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. II. p. 651.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. IX. p. 729.

ministret, quam publici coqui tractant : nec voluptatis nimiæ, ac gulæ : sed sobriam, mundam, temperatam, frugalem (1). »

Sic haud exiguam et ab illis et ab his parentibus puella inibit gratiam, præsertim si quis eorum in morbum aliquem, ut sæpe fit, inciderit. Primum, id quod nempe difficillimum est, sumptus qui non semel extra modum prodeunt ad censum parcius accommodabit; nam quæ mensis parantur, præsente domina, minore impensa fiunt; deinde quem curaverit suis manibus ipsa cibum, is jucundior erit quam qui ancillarum manibus ministratur. Postremo multo facilius nubebit, namque non ea sane est quæ ignoret, non unam uxorem, ut est delicatum fastidiosumque maritorum palatum! in odium viri venisse, quod se tironem coquendorum ciborum confessa sit.

Non igitur nomen « culinariæ », sine qua nec ægri convalesceremus, nec sani viveremus, fastidiet, nec eam habebit manuum sollicitudinem, ut ne culinæ quidem adesse velit, aut id spectare recuset quod vel parens, vel conjux, vel etiam filius esurus est. Sed sciet « fædari magis manum, si porrigatur alieno viro, quam si intingatur fuligine : turpius esse conspici in chorea, quam in culina : vilius, taxillos aut lusoria folia scite tractare, quam cibos : minus decere probam gustare in commessatione potum ab alieno viro traditum, quam sorbitiunculam viro suo tradendam (2). »

Quæ quum ad colendum ingenium, tum ad regendam domum suasit Vives, ea singulatim

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. III. p. 653.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. 1. C. III. p. 653.

perspeximus. Inde non obscure apparet quam et severa sit hæc disciplina, quamque puellam non ad libidinem instiget, aut armet, sed meliorem efficiat. Manifestius autem ejus institutionis summa comprehendetur, si quid de tractando, vestiendo, ornando corpore dixerit Vives, breviter ad hæc addiderimus.

Jam vero non serviet corpori puella, nec « delicate », aut « molliter », sed « continenter » et « sobrie » vivet. Itaque non frigidam modo bibet aquam, qua nihil vel ad curandam, vel ad firmandam valetudinem aptius est, (id quod sane in dubitationem multi adducent) sed etiam ne libidinibus tanquam flammæ cuidam materiam dedat, continentia jejunioque se conteret. Quod si tamen usque eo valetudinis infirmitate laborabit, tamque languente stomacho fuerit, ut puram aquam ferre non possit, haud intempestive, et id moderate quidem, paulum « cervisiæ » vel etiam vini ad concoquendos cibos adhibuerit. Potissime autem iis vescetur oleribus quorum ea natura sit quæ nec corpus inflammet, nec intemperantiam foveat, quoniam « non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Væsevus et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ (1). »

Eumdem in vestiendo, qui fuit in alendo corpore, modum tenebit; namque quam procreavit et eduxit Vives puellam, eam et vestivit et ornavit.

Primum aberit iis vestium lenociniis exquisitioribus elegantiisque quæ quasi veneno quodam pudicitiam polluunt, nec ad ullam aliam, nisi ad impudicam mulierem, accomodantur. Carebit item pretiosissimis et longe

(1) Viv. *De Inst. fæm. christ.*, T. II. L. I. C. VII. p. 662.

lateque fluentibus tunicis, quibus potius ostentari quam tegi corpus videtur; sed quam simplicissimas induet vestes quæ inornata munditia modestiam redoleant. Nec magis decet ejus digitos gemmis onerari, auresque ita perforari, ut voluntariis et arte quæsitis cicatricibus, nescimus cujus ornamenti more, margaritæ dependeant. Etenim quum nec ad decorem, nec ad virtutem hujuscemodi illecebræ spectent, quid igitur significant et tam aperte ostendunt? Jam crudelitas quodammodo est, quum quemquam alium, tum vero natura mitem et misericordem puellam auro quasi fulgere, quum aliàs multi forte non desint qui esuriant (1).

Quid existimaret de unguentis quæ, ut constat, curiosius requirunt puellæ, lepidissime dixit. Etenim ut squalorem et sordes reprehendit, quibus morum civilitas jure offenditur; sic illorum usum probat odorum quibus corpus quasi non inutili medicina reficitur, alacrior fit et expergiscitur. Attamen maxime cavendum erit ne consuetudo ea, quum nihil per se habeat quod adeo sit vituperandum, et nimis exquisita, et, ut ita dicamus, putida sit : jampridem nempe illud in proverbio est, eam recte olere mulierem quæ nihil olet (2).

Itaque non sine bella ironia quærit quid meditetur non jam inscia verum puella, quæ doloso pigmento se illinit, nec non levi pictura, ne dicamus crusta, delicatissime se cooperit. Nempe soli placere sibi vult? Puerile hoc quidem est! Nempe viris venustior

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. VIII. p. 664.
(2) Id *Ibid.*, p. 664.

formosior videri cupit ? In fraudem incidit! Nempe maritum his illecebris, quasi quodam hamo, allicere et trahere aggreditur ? Nœ, nisi insanimus, stulte hoc et incaute! Namque, quum nupta erit, tantum jam displicebit nudata, quantum fictis ornamentis freta male placebat (1). Quid postea ? Hæc quo sint eruptura timemus, conjecturaque valde ad suspicandum ducimur, virum illum qui dulci quadam imagine deceptus fuerit, erroris sui causam jam esse aversaturum.

Quare si sapiet puella, non « fucabit » faciem, sed sanam, siccam et sinceram habebit; non « sapunculo » illinet, sed aqua « abluet » ; non calamistris capillos inuret aut inficiet, ut assimilatum commentitiumque colorem subinde jactet, tamen nec « impexos » neque « furfuribus » conspersos habebit, ipsumque caput et a sudore et a squalore tuebitur; non delicatissimo odorum usu putida, minus autem fætore horrida erit. In speculo sane se intuebitur, et id quidem non ut longas horas comam componat, sed ne quid ridiculi aut insolentis vel in ore, vel in capite sit. Denique quod discipulis Socrates præcipere solebat, id putabit et sibi esse dictum; scilicet ut in speculo se spectarent; si formosi viderentur, curarent ut et ipse formosus haberetur animus; sin deformes, animi pulchritudine deformitatem corporis compensarent (2).

Postremo ne pudicitiæ florem illum vel invita lædat, in publico non erit, sed includet se domi, quum raro incidant negotia quibus vacare debeat ut hæc apte fieri possint (3). Si detur tamen in medio hominum concursu

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, p. 665.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. VIII. p. 670.
(3) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. XI. p. 677.

versandi occasio, tum quid dicat sedulo videat, ne quid immodici, et petulantis, et imprimis lascivi in verbis deprehendatur. Nec temere aut imprudenter de quacumque re quæ venerit in controversiam effutiat; inde oritur nescimus quod opus amplificandi vel ea quæ natura simplicissima sunt. Quod ad jusjurandum attinet, tantum id a puella aberit, ut ne vetandum quidem, ut portentum est, Vivi esse videatur.

Sæpissime etiam evenit ut puella quæ formosa vulgo habetur, aut se formosam esse credit, sine causa nec non sine fine ridere soleat. Eam diceres prætereuntibus injicere velle maximam sui admirationem, quum propter futilem quamdam alacritatem assidue de quacumque re rideat, ut si quis calvitio laboret, aut pravo pede claudicet, aut ineptum protulerit aliquod verbum, aut caput male quadrante pileo operuerit, aut si forte in nasum musca per intervallum involaverit. Qua de re non illepide disseruit Vives (1).

Pendent etiam de morum civilitate quædam corporis exercitationes, quæ simul et ludus et relaxatio sunt. Sic imprimis non ita probat Vives puellam huic indulgere saltationi, in qua haud injucunda sane vigebat illa consuetudo, suavia scilicet dari reddique; quippe qui censeret ad acuendam libidinem hæc suavia vim habere maximam, et imprimis pudicitiam periclitari, quum saltatio tot hominum oculis spectaretur (2).

Hæc vero hactenus. Quum jam quidquid in hac ratione reperitur ordine persecuti simus et per singulas

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. XI. p. 679

(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. XII. p. 682.

partes inspexerimus, sufficiat hoc *Institutionis fœminæ christianæ* lineamentum. Qua in adumbratione, non auctoris sententias modo retulimus, sed ipsa verba, minus imitatores quam ex industria plagiarii, sæpissime mutuati sumus; quippe ignoti fere plerisque formam, et, ut ita dicamus, corpus haud inopportunum in lucem producere visum est.

CAPUT III

Quæ veteris disciplinæ vestigia in « Institutione fœminæ christianæ » exstent examinabitur

Quum non modo desideret commentariolum hoc nostrum doctrinarum enumerationem quas Vives colendas esse judicabat, verum etiam circumspectionem, et accuratam quamdam considerationem cogere unum in locum et in ordinem redigere liceat, quid apud eum tanquam notandum et animadvertendum sit.

Illud ergo primum Vivi objurgaverimus, quod ab hac populari consuetudine abhorrentem communique usu recedentem rationem ordinavit. Etenim hoc sibi quum proposuisset ut Catharinæ, Britannorum reginæ, morigeraretur, paucissimis sane, id est divitibus atque ingenuis puellis, consuluit. At enim optime consuluit: sit sane ita! Sed « quid interim fiet tenuibus (1)? » Quas ipse Mariam Tudorem docuerat artes, eas etiam cœteris puellis tenendas non ita quidem apte existimavit. Inde evenit ut vulgarem illam institutionem, qua pullata et circumforanea puellarum multitudo bonis

(1) Erasm. *Christ. matrim. Institutio*, T. V. p. 596.

litteris ornari, honestissimis doctrinis erudiri, saluberrimisque præceptis instrui posset, omnino prætermiserit atque neglexerit. Tibi enim persuadere velimus, non frequentare publicas scholas puellam eam quam informandam suscepit. Quippe quæ privatim educetur, doctissimumque audiat pœdagogum, qui, quum huic uni negotio intentus sit, res veluti digito demonstret degustatasque apponat. Quod si non illo utetur magistro quem requirit Vives, at saltem ab aliqua docebitur muliere præceptrice, quæ non casta tantum sit, verum etiam vultus, orationis, morumque gravitate venerabilis esse videatur. Sed utcumque erunt res, domi certe manebit, nedum unquam cum æqualibus paribusque puellis aliquando et ipsa versetur.

Manifestam deinde sui temporis profecto præ se fert Vives, qui, quum ingenio suo indulgere quam temperare mallet, paulo obsoletiorem et male recentioribus moribus quadrantem professus sit doctrinam. Nimium, mehercule, puellam detinuit in veterum commercio, cujus adeo non utilitatem infitiamur, ut jam eam et maximam et optimam judicemus. Sit sane permagnus fructus ille qui ex antiquitate percipitur! Attamen num ideo putes usque eo vel otium, vel fortunas suppeditare uni e multis puellæ, ut iis operam det legendis operibus quæ laudibus extollit Vives? Tum vero quam ex hac institutione utilitatem capiet puella, negotiis familiaribus impedita, quum vernaculam linguam vix intelligere beneque eloqui possit? Nimirum leget Virgilium, Terentium, Titum Livium, Senecam, multosque alios, ea quæ cum multo sudore patriæ linguæ rudimenta et incunabula tenuerit? Quo tendat hæc ratio

clare significatur et aperte ostenditur, id est ad disciplinam quæ nec ad communem usum, nec ad illam popularem facultatem accommodatur. Quare exiguum sane commodum Vivis a præceptis expectandum est, non quia illa aut altera studiorum omissa fuerit pars, sed potissime quia concepta ratio paucissimis, id est regiis, ne græcis romanisve puellis dicamus, potiusquam gallicis germanisve, apta esse videtur.

Puellis iis quas diximus quum singulariter consuleret, vide quam multa neglexerit, nisi ea magis temporum in quibus vixerit, quam ejus culpa, fuerit.

Jam vulgarem sermonem, ut ab hoc ordiamur, adeo in fastidio posuit, ut ei nusquam proprium peculiaremque locum in universa institutione sua dederit. Deinde ne unum quidem verbum fecit de scholis quas cujuscumque generis et conditionis puellæ frequentarent. Attamen nec operam, nec oleum, ut aiunt, perdidisset, si ea quæ in hisce ludis essent spectanda atque quærenda clare et distincte monuisset. Itaque magis hoc desiderandum et requirendum nobis videtur, quod hanc ipsam quæstionem (quod ad instituendos pueros attinet) egregie amplexus est, imo plane persolvit. Etenim in illo opere cui *De corruptis artibus* nomen est, quum jam cætera melius quam superiores, tum primus intellexit oportere ante omnia locum quemdam elegi, quam maxime salubrem, nec non amœnum et apricum, qui velut illecebris discipulos ad assiduum laborem sollicitaret, nec nimis frequentatum, neque tamen admodum desertum; nec quemquam denique adeo admirari debere, quod tanta cura constituendus esset ludus, ubi in discipulorum animis nasceretur et adolesceret

sapientia, quum tam sedulo curare soleremus, ut vel educandis apibus in bono sole area collocaretur (1).

Non dilucidius, mehercule, explicuit quemadmodum classes ita distribui et ordinari oporteret, ut totum vulgarium disciplinarum orbem puella, pro ætatis ratione, percurreret. Nec enumeravit qua ratione precipuum cuique classi studium attribui et assignari vellet; primo, ut exemplis utamur, linguæ rudimenta; secundo, ordinem constructionemque verborum; tertio, rhetoricam ac dialecticam; quarto denique, philosophiam, ita tamen ut cunctæ classes inter se arctissime tenerentur, ac trivium illud quadriviumque amice conjurarent. Id quidem intractatum omnino reliquit, aut ipsius præceptoris arbitratui commisit; inde sequitur ut non ita plane sit perspicuum quam sententiam inter tot et tam diversas res tulerit, sed huc et illuc erraverit, potius quam certam viam perrexerit.

Quid quod nec planius docuit quæ et quales erudiendis puellis magistræ adhibendæ essent? Etenim illud tantummodo dixit : « Si fœminam aliquam invenire sit sanctam et doctam, quæ erudiat, hanc malim (2). » Probe vero! Sed hanc ipsam docendi copiam ita verecunde, ita dubitanter mulieri dedit, ut potius abnuere, longissimeque virum « vel grandævum, vel certe optimum et probatissimum (3) » anteferre videretur. Quamobrem hanc opinionem habuerit noster ille, quem mulierum assentatorem non, mehercule,

(1) Viv. *De corrupt. art.*,
De tradendis disciplinis, T. I. L. II. p. 450.
(2) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. IV. p. 656.
(3) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. IV. p. 656.

dixerimus, compertum est et certum. Attamen præter alia suspicamur id fuisse causæ, quod existimaret contra naturam esse mulierem in scholis docere, seu nihil immitius muliere videretur si qua ira ejus commoverit animum, seu potissime meminerit « non de nihilo esse, quod Paulus docendi aut loquendi in Ecclesia munere fœminis interdixit (1) ». Nemo autem ad hoc vetitum stupeat, quum omnes Ecclesiæ Patres omnesque medii ævi doctores una et mente et voce in ea re consenserint, adeo ut in consuetudinem proverbii venisset Brunonis illud : « Ut discat concedo mulieri. Docere autem... nullo modo permitto mulieri (2). » Quare minime mirandum est et ipsum Vivem non concessisse ut mulier doceret, ne, quum « falsam de re aliqua opinionem » illa sibi persuasisset, jam « auctoritatem » erudientis « in auditores » transfunderet, « et alios quoque in errorem facile (3) » induceret.

Postremo nonnulli jam quum quærere solerent, utrum potius esset pueros ab uno præceptore doceri, an in frequentissimo ludo educari, nihilominus silentio præteriit Vives utrum satius esset et ipsas puellas publicis in scholis, an domi privatimque institui. Attamen is erat, si quisquam alius, qui hanc sibi tanquam suo jure controversiam sumeret, dirimeret, dijudicaret, atque huic aut illi parti faveret, seu inutilem esse puellis solitudinem judicaret, et ex frequentissimo convictu multum capi commodum, seu

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. V. p. 659.
(2) Brunonis. *Opera.* Parisiis, 1524.
In Timoth., II. C. II. V° p. 389.
(3) Viv. *De Inst. fœm christ.*, T. II. L. I. C. IV. p 657.

in turba semper esse malas quarum contagione inficiuntur aliæ, nec fieri posse ut cura in tam multas distracta, in singulas intenta sit : tanto mentis acumine subtilis ille muliebris naturæ existimator sensus et indolem puellarum perspexerat ! Certe nihil fuisset quod magis quidem nos audire voluissemus.

Positum sit igitur inprimis in hoc maxime claudicare Vivem, quod, quum ingenuam puellam instituendam suscepisset, nihil admodum ad plebeias puellas aptum, nihil de discendis linguis quæ vulgares appellantur, nihil de constituendis scholis, nihil de erudiendis magistris, nihil denique de domestica aut publica studiorum ratione protulit. Nunc vero quam exiguis totum suæ disciplinæ orbem finibus circumdederit, quas parum recte neglexerit disciplinas, aut inutiles fere, aut noxias etiam esse judicaverit, extremis, ut dicitur, digitis attingendum est.

Primum quoniam procliviores jam sponte ad libidinem sumus, nedum stimulis ad deteriora nobis opus sit, ablegavit nec sine ulla fere exceptione proscripsit opera quæ nec ad fovendam pietatem, nec ad recte conformandos mores spectarent. Sed quum multa alia, tum vero puellis maxime nocere putavit ea quibus *Tristanus*, *Lancilotus a lacu*, *Ogerius*, *Amadisus*, *Arturius*, nomen erat. Rectene illud infinitum prope et, ut ita dicamus, Sullanum odium conceperit, sane dubitari potest, quanquam et is consensit cum voluntate, mente atque sententia Gersonii illius, qui, quum jam antea contra *Romantium de Rosa* asperrime invectus esset, hisce verbis peroraverat : « Auferatur... liber talis, et exterminetur absque ullo usu in

futurum, specialiter autem in his partibus in quibus utitur personis infamibus et prohibitis (1). » Non quod hanc damnationem ægre feramus, utpote qui satis accurate unam aut alteram de næniis istis attigerimus : non tamen si quædam opera hilaritatem, aut jucunditatem, aut lætitiam afferent, ideo tollentur, præsertim quum per tot annos incredibili legentium favore floruerint.

Non Vivi magis videtur admovendam esse ad naturæ cognitionem puellam neque in ea esse retinendam. Nempe metuebat ne vel inutilibus, vel stultis in controversiis, ut tum erant tempora, meri ingenii vires disperderentur. Quis enim jam nescit quanta cum deliratione de principiis, de prima materia, de infinito, de universo, per ætatem illam disputaretur, quum nihil fere legeretur aliud, nisi ea opera in quibus de animalibus, de plantis, de meteoris summus ille magister disseruerat, Aristoteles. Attamen cuilibet puellæ non modo incommodum non fuisset, sed etiam utile, naturam rerum odorari, et nosse quid nubila, quid metalla, quid sidera, quid cœlum, quid montes, quid lapides, essent.

Quum facundiam mulieribus nullo modo congruere putaret, nempe quia « ubi lingua res geritur, ne septem quidem viri pares sunt uni fœminæ (2) », rhetoricam pariter omisit. Justumne sit hoc fastidium, jure ambigas, præsertim quum rhetorica sit verborum

(1) J. Gersonii. *Opera*. Parisiis, 1606.
Tract. contra Romantium de Rosa, T. IV. Col. 935.

(2) Erasm. *Colloquia*.
Puerpera, T. I. p. 650.

collocandorum in sermone scientia, et eadem dilucide enucleateque loquendi præcepta tradat, et omnia amplificationis genera comprehendat, figurarumque fontes aperiat, unde orationi prœcipuæ opes suppeditantur.

Rectius sane respuit et pro nihilo putavit dialecticam, qua per medium ævum tam immoderate quidem tamque odiose doctores abusi erant. Quid ea ab arte expectandum esset, jam perspicuum erat et inter omnes constabat; quippe quæ mentem puellæ depravasset, omissaque omnino cogitandi facultate, memoriam tantum excitasset, nec ullam judicii rationem habuisset. Sic admirabili consensu quodam Vives cum Erasmo quadrabat, quum ambo nusquam non insectarentur dialecticos, « rixosos » homines illos et « loquaces », qui tribus instructi syllogismis nunquam non audebant quavis de re cum quovis manum conserere, et « ideas, universalia, formas separatas, primas materias, quidditates, ecceitates (1) » videre et intelligere se prædicabant.

Præterea historiam viris pæne relinquendam putavit, quamvis in alia operis parte delibandam tantum puellis passus sit. Præclaram nimirum sapientiam, cæteris non item probandam! Namque si fuit unquam inter omnes alias ulla doctrina, qua mentes quam optime fingi possent, certe gestarum rerum, temporum, locorum, hæc scientia est, quam vitæ magistram sine controversia dixeris

Mathematica vero num opportunius non modo parvo, sed ferme nihilo duxisse tibi videtur ? Quamvis arcana

(1) Erasm. *Moriæ encomium*. Passim.

et occulta numerorum mysteria scrutari non necesse sit, tamen cur non et advocata est in cæterarum disciplinarum societatem hæc ars, quæ, præter jucundam exercitationem, præcipuam vim ad acuendum ingenium habet? Quid denique quod ne geometriam quidem neque geographiam nominat, in quibus mira quædam suavitas et delectatio non deest?

Jam vero, ut pergamus ad reliqua, nonne censes illiberalem fere fuisse et extra modum prodiisse Vivem, qui tam aspere sit invectus in eas quæ ludicræ appellantur artes, quarum natura ea est quæ aures oculosve oblectet eruditumque luxum foveat? Age, concedimus longe longeque plurimum esse arcendas illas quæ « in tentationem animæ hominum » et in insipientiam » et « corruptionem vitæ (1) » inventæ sunt. At aperte confitebimur nec injucundam, nec inutilem esse, nedum noxiam inimicamve moribus, musicæ cognitionem. Reprehendere possis, si velis, nescimus quam symphoniam « quæ vocis gratia et pestilentibus cantionibus, instrumentorumque voluptuariis modulis... incentiva, in omnem lasciviam et corruptionem animum (2) » debilitat; jure vero exagitare non possis illam quæ ad humanitatem animos impellit, et in qua tantum instierit puella, quantum ad ornandam mentem necesse fuerit. Melius, mehercule, eodem tempore sentiebant Lutherus ille ejusque discipulus, Melanctho, qui summis laudibus pariter hanc artem ad cœlum nusquam non extollebant (3).

(1) H. C. Agrippæ. *De Vanitate scientiarum*, T. 11. C. LXIV. p. 130.

(2) Id. *Ibid.*, p. 129.

(3) P. Melancth. *Epistolæ*.
Ep. complectens commendationem Musicæ, T. 11. p. 193

Idem de « saltatione » dixeris, « quam quum a Romana gravitate, tum etiam a Græcis ipsis paulo cordatioribus ac frugalioribus repudiatam » referebat Vives, et « intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum » comitem, omniumque vitiorum quasi « cumulum (1) » esse existimabat. Etenim ut aversandum est quodcumque turpis ludi genus, ita puellam maxime decet lætitiæ indulgere, festivitatem redolere, cum æqualibus suis se oblectare, libenterque aliquando jocari, ut, quum propter singularem naturæ humanitatem, tum propter exquisitas morum suavitates, ab omnibus admodum diligatur et ametur, nedum semper « de Deo, de vita hac nostra brevissima, deque illa in cœlis sempiterna (2) » cogitet ! Quam rationem si quis omnino sequi vellet et in hac tanta immanitate versasi, vitam nimirum in solitudine et tanquam inter feras degeret. Quam satius est puellam, si non omnia, at quædam tamen videre, atque paulatim quid quacumque in re, et quando, et quatenus deceat, nosse ! Ita sentiebant multi, et ii quidem vel morum innocentia, vel ingenii magnitudine præstantissimi viri. Nam quid commemoremus honestissimum illum virum (3), cujus diligens sed sine molestia pietas jamdiu in omnium ore est ? Is autem leniorem facilioremque Vive, quod attinet ad puellarum institutionem, se præbuit ! Attamen non citius quemquam dixeris alium, in quo illustrius sanctitatis exemplum habemus.

Serpit igitur, nescimus quo pacto, per eas *Institutionis fœminæ christianæ* partes quæ ad excolendam

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. XII. p. 683.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. V. p. 659.
(3) François de Salles. *Introd. à la vie dévote*, C. XXXIII.

mentem pertinent, quiddam serium et angustum, ne durum et religiosum dicamus ; inurbanius autem et horridius resonant ea quæ tractandum ad corpus spectant.

Quam parvi duxerit Vives corpus, quod quidem nunc « terrenum quiddam ac brutum », nunc libidinis tantummodo « administrum », nunc « nequisimum mancipium (1) » putabat, multis sane locis testatus est. Quare parum esse christianum pæne censebat de eo sollicite disserere, quamvis idem de eligenda nutrice, de boni malive lactis vi, deque prima infantia utilia certe præcepta dedisset. Sequitur inde ut ei nunquam in mentem venerit exponere quæ firmando corpori essent adhibendæ exercitationes, quidve ex illo antiquo usu retinendum esset, quo Græca Romanaque juventus currendo, ludendo, saltando, augere vires solebat : qui quidem mos non tam elegantis, quam necessarii studii erat.

Imo fuit ista severitate in judiciis, ut puellam se abluere « aqua », non autem illinere « sapunculo (2) », permiserit, tanquam si illud immodestum esset! Proinde quum nihil laboraret aliud, nisi ut purus atque integer puellæ animus esset, quum omnium Ecclesiæ Patrum, tum inprimis Salviani Ambrosiique disciplinam sequebatur. Quorum alter puellam cavere jubebat, ne « caro » conspiraret adversus « spiritum (3) », nec non hortabatur alter ut « membra

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. X. p. 737.

(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. VIII. p. 670.

(3) Salviani. *Opera.* Parisiis, 1663. — *Epist. Catturæ sorori*, p. 210.

tympani modo (1) » tunderentur. Pia quidem et sancta, sed ut nunc est, parum ad naturam convenientia, et potius inepta verba ! Mentis enim corpus et subsidium domicilium est. Quare ut in ædibus mutantur fenestræ, attollitur solum, convestiuntur tabulatu parietes, situs igni purgatur ; sic et arte curaque nostra domicilium et animi commodius jucundiusque efficere licet (2). Quantum igitur hanc ob causam improbanda, quantum aspernanda, quantum respuenda sunt consilia quæ de servando jejunio protulit ! Quid ? Nonne tibi videtur ratione consilioque deficere Vives, qui non modo quam diligentissime commendaverit facilem cibum, puram aquam, aut tantum vini quantum ad coquenda alimenta satis esset ; verum etiam voluerit puellæ jejuniis corpus affligerent, infringerent, debilitarent ? Et quam ob rem, Dii boni ! Scilicet ne ad libidinem propensæ essent, ne in flagitio volutarentur, ne « lascivia carnis » æstuaret, quoniam « totam quidem chistianam vitam oportet esse perpetuum quoddam jejunium (3) », et melius est te e stomacho quam e mente laborare, imperare corpori quam servire, gressu claudicare quam pudicitia vacillare. Et hæc scribebantur non a quovis uno, sed a doctissimo præstantissimoque viro, et, id quod majus est, illius humanissimi Erasmi, cui longe videbatur secus, amico ! Sed quis jam ignorat quantis curis quantisque sollicitudinibus præsertim pubescenti adolescentique

(1) Ambrosii. *Opera*. Parisiis, 1690. — *Exhortatio virginitatis*, T. II. C. VII. p. 289.

(2) Erasm. *Colloquia*.
Puerpera, T. I. p. 652.

(3) Viv. *De Officio mariti*. T. II. C. III. p. 630.

puellæ opus sit, ut ex illo ancipite, ut aiunt, lubricoque transitu, sine suo periculo evadat? Quomodo autem vires alere et firmare posset, nisi eo cibo uteretur qui et saluberrimus et idem copiosissimus esset?

Jam in his manifesta « ruris », id est veteris disciplinæ vestigia, deprehenduntur; clarius autem apparebunt, si quæ de mulierum ingenio ac natura sentiret Vives, ea illustrata et patefacta habueris.

Primum « fœminam tacere » mirum quoddam portentum est et monstrum! Nam ita celeri promptaque lingua cunctæ sunt, ut « omnia et aliena et sua loquacissime effutiant, nihilque pensi habeant quid loquantur », et « quidquid in buccam venerit » temere profundant. Hinc acerrimum flagrantissimumque amplificandi mentiendique oritur studium, quo « ex uno corvo » fiunt « centum », et « ex uno homine occiso mille, et ex cane mediocri (1) » Indicus elephantus. Imo inurbanæ rusticæque sibi viderentur si quando tacerent, et ob eam ipsam causam « sollicitæ, curiosæ, anxiæ » sunt « si quid forte putant maxime » esse secretum « et ab omnium cognitione » non temere « remotum », atque « inquietæ donec eo penetrarint (2) » prorsusque valde cognoverint.

Deinde incredibile est quantopere soleant ardere invidia, quæ, quum nusquam non sit gravis et odiosa, tum vero, nescimus quo pacto, turpis et ridicula est, si mulierum in animum irrepserit. Etenim quæ et qualia fore putas ea quæ tam vehementer illæ exoptant, tam acriter requirunt, tam avide sitiunt? O præclaram

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. XI. p. 681.
(2) Id. *De Officio mariti*, T. II C. III. p. 631.

quidem invidiæ causam! Jam cave putes eas certare probitate, patientia, amore atque obsequio mariti, ceterisque virtutibus quibus æquo animo vel vincerent alias, vel ipsæ ab aliis vincerentur. Nihil enim aliud hæc « superbissima et stulta animalia », quum « ad vanitatem et ostentationem » propensa sint, nisi « insanias », id est ornatum, vestes, « torques, murenulas, monilia, inaures, annulos, versa celata (1) » affectant. Tum splendido cultu incedere, et omnium per ora magnifice volitare, et ad expetendam formam ornatus lenocinio auctam spectantium animos sollicitare gestiunt. Sin autem domi manent, munus suum non ita diligenter exsequuntur, nec, mehercule, manum « quibus est opus..... admovent, culinamque » sedulo declinant, neque « ab uno..... maxime terso et nitido loco » discedunt, ne « perturbentur aliquid ex iis quæ tanta arte (2) » composita sunt.

Sequitur ut sine causa nec non sine fine querantur, præsertim quum consanguineam aut affinem aliquam vel « ditiorem » vel « ornatiorem (3) » aspexerint. Tum, mediusfidius, non mediocri dolore afficiuntur, quum alia laudis possessionem ocupare videatur. Tum levissimis et infirmissimis de causis reprehendunt, litigant, increpant, et ita tempestatum animi impotentes sunt, ut ira omnino perturbentur, et, ut ita dicamus, exanimentur, quia videlicet nulla bellua magis efferata, aut immanis muliere est, quum agit ambitio, cupiditas, invidia. Hinc nec in jurgiis « modus », nec

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. VII. p. 723.
(2) Id. *De Officio mariti,* T. II. C. VI. p. 636.
(3) Id. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. VII. p. 723.

in convitiis ratio, quum « omnia ignis accenderit » et sua fecerit, nec ullus jam fuerit « judicio locus (1) ». Itaque « solo » sunt cohibendæ « metu » : qui si aberit, « tum demum » malignæ earum « naturæ habenas (2) » laxabit. Quod si tamen mansuetæ natura sunt, ex eo tantummodo proficiscitur quod « alieni auxilii (3) » vehementer indigent.

Ea est nimirum pulchra Vivis peroratio ! Quam quidem, ut volet, quisque accipiat ; nihil ad rem. Nunc id quod majus est, quantam mentis infirmitatem in mulieribus inesse existimaverit, et quem locum in humani generis societate tenendum eis dederit, extremum audi.

Crederes sane primo adspectu Vivem, quum palam prædicaverit molli manu alliciendam esse ad studia puellam, veterum disciplinæ fautorem esse et amatorem, nec antiquius habere quidquam aliud, quam notissimum illud et idem humanissimum præceptum, scilicet ut naturam sequamur. Næ toto cœlo, ut aiunt, erras ! Quippe post omnes Ecclesiæ Patres suspectam habebat mulierem, utpote quæ in illa prima mundi origine « machinis diaboli oppugnantis... (4) seducta in prævaricationem (5) » fuerit, illumque credulum ipsum Adamum ad perficiendum scelus adduxerit. Etenim quid quod cuncti Ecclesiæ doctores, unanimo consensu quodam, et exsecrati et detestati sunt illam quæ tantam humano generi molita est perniciem ? Quid

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. IV. p. 715.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. III. p. 652.
(3) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. X. p. 674.
(4) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. VI. p. 660.
(5) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. IV. p. 657.

quod « diaboli janua, arboris illius resignatrix, divinæ legis prima desertrix, quam « videre malum, audire pejus, tangere pessimum (1) » erat, Tertulliano habebatur ? Quid quod Ennodius « malorum comitem (2) » ducebat eam, quæ Anselmo « causa nostræ damnationis, fax Satanæ, mors animæ (3) et dulce malum » videbatur ? Quid quod Gersonius cunctas mulieres esse « sapientiæ divinæ cognitrices » negavit, « quia levius subductibiles, quia pertinacius subductrices (4) » erant ? Quid quod denique Ægidius Columna, de quo postea dicemus, non aliter sentiebat atque ii existimabant ? Cujus hæc mira opinio est : « Mulieres.... tanta turpia perpetrant, quod vix invenirentur viri adeo inverecundi ut possint tanta turpia opérari (5) ». Vives vero adeo non ab iis dissensit, ut eorum sententiam et ipse ferme confirmaverit. Quippe cui « lubricus » haberetur « fœminæ cogitatus, nec uno loco facile » consistens, sed « a rectis ad prava exiguo negotio » delabens, « nec omnino sine causa » videretur Publius Syrus illud dixisse : Mulier quum solo cogitat, male cogitat (6).

(1) Tertulliani. *Opera*. Parisiis, 1580.
De Habitu muliebri, p. 399.

(2) Ennodii. *Opera*. Tornaci, 1611.
Adlocutio de adultera, p. 477.

(3) Anselmi. *Opera*. Parisiis, 1721.
Cur Deus homo, C. VII. p. 197, 198.

(4) Gersonii. *Opera*. Parisiis, 1606.
De Examinatione doctrinarum, Pars II. Consid. II. T. I. Col. 514.

(5) Ægid. Columnæ *De Regimine Principum*. Romæ, 1607.
Pars. 1. L. II. C. XVIII. p. 272.

(6) Viv *De Inst. fœm. christ.*, T II. L. 1. C. IX. p. 672

Imo tam imbecille « animans », tam « invalido judicio (1) », mulierem esse narrabat, ut jam prope Platonem probaret, qui, quum hujus « infirmioris sexus » stultitiam significare vellet, pro comperto non satis habebat utrum in genere « rationalium » animalium mulierem poneret, ant in brutorum numero adscriberet. Quare censebat, « ut cœcus a vidente, æger a valido (2) » toleratur, sic et mulierem æquo animo esse patiendam ; namque veteri Grœcorum proverbio, sicut simia semper erit simia, ita mulier est mulier, hoc est omnibus rebus inferior et stulta, quamcumque personam induerit.

Clamat enim rerum natura, quæ viris « animos attribuit generosos, sublimes, diligentes, actuosos..., fœminis contra meticulosos, avaros, demissos », minime convenire « omnes esse pares », sed virum esse « dominum (3) », mulierem autem « debere esse subditam viro ac ei parere. » Quamobrem id acciderit, satis perspicuum ; namque quocumque « in animalium genere, fœminæ suis maribus obtemperant », imo « castigari » atque « verberari » se libentissime patientur. Mulier igitur, velit, nolit, ministra, famula, ancilla viri erit, nec unquam, hercule, eo arrogantiæ veniet ut parem viro se prædicet, quippe quæ « sancitas a natura leges » converteret, non secus ac si gregarius miles imperatori imperare, « aut luna soli (4) » præesse, aut capiti brachium, gestiret. Itaque, quum

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. 1. C. IV. p. 657.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. II. C. VIII. p. 728.
(3) Viv. *De Officio mariti*, T. II. C. IV. p. 633.
(4) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. III. p. 704.

nupta erit, maritum, qualiscumque fuerit ille, non amabit tantum, sed verebitur etiam, quum is « Deo... in terris (1) » successerit, et divinam illam majestatem ipse solus imitetur et exprimat.

Hanc ob causam omnino viri ingenio se aptabit, imo liguritioni ejus libenter indulgebit, nec antiquius quidquam habebit, quam ut sedulo provideat quibus cibis, quo modo paratis, quo jure conditis, delicatissimus ille tyrannus, ut aiunt, delectetur, a quibus abhorreat, num salsa an parum sapida, calida an frigida amet, qua hora, « quibus mantilibus, quibus mappis, quadris, patinis, scutellis, cucumis, salino, poculis » apponi mensam gaudeat. Quid multa ? Hæc erit præceptorum omnium summa, ut, perspectis diligentissime mariti moribus, « talem se erga illum præbeat qualem vellet famulam suam esse in se (2) ». Quem si forte viderit ægrotantem, jam fovebit, curabit, magnamque morbi partem in se derivabit ; ipsa manibus ejus corpus teget, ipsa denique « urinam matella (3) » excipiet. Meminerit enim multas iis moribus fuisse mulieres, ut quidvis potius agere et tolerare, quam maritis non morem gerere mallent. Jam quid quod Andromacha illa herbas et avenam Hectoris equis candida manu ipsa præbebat, nec non formosissima Budæi uxor ita marito obsequebatur, ut ejus non negligentius « libros », quam « liberos (4) », curaret ? Postremo, pro Jupiter, si forte mariti iracundia vapulabit, tamen reminiscetur bonam mulierem

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. III. p. 709.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. II. C. IV. p. 716.
(3) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. III. p. 706.
(4) Viv. *Ibid.*, T. II. L. II. C. IV. p. 713.

patiendo imprerare, et se putabit a Deo ipso « corripi », et id sibi accidere propter sua peccata quæ feliciter eo modo expiabit. Imo « modico hujus vitæ labore » magnos « alterius cruciatus (1) » redimere posse valde gaudebit ; ut jam verum videatur in ipsa illud quod socerum quemdam respondisse ferunt genero qui quæsivisset qua consolatione uxorem assidue lacrymantem, nec ullis monitis sanabilem, denique leniret, « se semel illi tradidisse filiam, quod si illa non obtemperaret verbis, uteretur suo jure, et verberibus eam emendaret (2). »

Nostrum habes judicium de iis *Institutionis fœminæ christianæ* partibus, quibus sonat subragreste quiddam. Quæ ratio quum omnes sine controversia vincit superiores, tum indicat tamen quantum absit a summo. Nec mirum : namque Vives non modo cum æqualibus suis, sed et aliquando cum medii ævi doctoribus Patribusque Ecclesiæ conjungitur. Sed, quum aliis nonnihil debuerit, (quoniam nullus scriptor unquam anteriori ætati nihil omnino debet) tum imprimis cum Hieronymo de disciplina puellis adhibenda consentire non semel videtur.

Puella enim, cujus comprehensam animo quamdam speciem et effigiem habebat gravissimus ille Lætæ, Gaudentii, Eustachiique magister, sic instituebatur ut « nihil » legere, ne audire quidem posset « aliud », nisi « quod ad timorem » Domini pertinebat : ut minime mirum futurum esset, si, quum ætate processisset,

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II. C. III. p. 709.
(2) Erasm. *Colloquia.*
Conjugium, T. I. p. 593.

quæcumque postponeret opera, dummodo « divinos codices », hoc est *Psalterium, Proverbia* Salomonis, *Evangelia*, Apostolorum *Acta* et *Epistolas* unice pasceretur, nedum artes illas quas liberales dicimus vel amplecteretur, imo odoraretur. Quippe quæ, quum esset « surda ad organa », et ignoraret cur « tibia, lyra, cithara » factæ essent, mallet sane « lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere », eaque sæpe rumpere, ut aliquando rumpere desisteret. Quod ad corpus attinet, ea severitate erat, ut balnea semper vitaret, « seipsam erubescere » deberet, nec unquam vinum biberet, « in quo » erat « luxuria », sed oleribus tantummodo vesceretur, jejuniis se debilitaret, et sic comederet, ut semper esuriret viveretque « angelice », ac « in carne sine carne » esset. Unum denique in mente inscriptum habebat, se christianam esse virginem, se Dei esse templum, se Christo esse sponsam, se Mariæ esse imitatricem et in omni sua vita esse « sectatricem (1). »

Sed quoniam hujus disceptationis magnitudo satis longe processit, de reliquis quæ laudanda esse videntur dicemus.

(1) Hieronym. *Ad Lætam, de institutione filiæ*, T. I. p. 19.
Ad Gaudentium, de Pacatulæ infantulæ educatione, T. I. p. 36.

CAPUT IV

Quid novi attulerit Vives?

Quæ in *Institutione fœminæ christianæ* paulo obsoletius olerent, antea vidimus; nunc quid in animo conceperit Vives, quo non modo antiquam disciplinam delevit, sed novum aliquid etiam instauravit, diligentissime examinandum.

Jam nobis primum videtur non parvam navasse operam, imo permagnum effecisse quiddam, et hoc uno cæteris scriptoribus vel maxime præstitisse, quod quum alii se ad philosophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam, ipse ab scribendam *Institutionem fœminæ christianæ* sese applicuit. Quæ quidem res, ut maxime necessaria ac cognitione dignissima erat, ita seu propter errorem, seu propter negligentiam aut inscitiam, hactenus intentata fuerat. Primus autem intellexit jam majorem quam antea curam instituendis puellis oportere adhiberi, primusque certam ac definitam rationem in peculiari opere quodam adumbrare atque effingere conatus est. Etenim plerique scriptores confectas senio nescimus quas doctrinas reprehenderant et exagitaverant: puellarum vero institutionem omnino

prætermiserant, aut si curaverant, magis tum casu nonnunquam, quam aut ratione aliqua, aut observatione fiebat. Nec mirum : quippe qui illud maximi esse momenti tantummodo judicarent, quemadmodum pueri et adolescentes recte ac liberaliter erudirentur. Quod quidem jam melius agnoveris, si paulum præteriti temporis spatium respicere volueris, et animadvertere quid unusquique jam a medio ævo effecerit.

Hac in ætate, ut nostram sententiam exemplis confirmemus, primum se extulit ille Ægidius Columna, de quo pauca supra diximus, cujus tum « doctrina insuper ita excelluit, ut nomen fundamentarii Doctoris non immerito sit adeptus ». Is « rerum exquisitor diligentissimus (1) », quum Philippus ille Pulcher « amicabiliter » ab ipso petiisset opus aliquod, in quo « de eruditione Principum, sive de regimine Regum » disputaretur, « delectabiliter (2) » munus confecerat. Quare qualis cura adhibenda esset pueris « a principio nativitatis usque.... ad decimum quartum annum.... et deinceps (3) », interdum feliciter, sæpius autem inepte, semper fusius, enucleaverat. De puellis, mirum silentium ! aut, id quod ridiculius est, incredibilis deliratio. Fuit eodem pæne tempore, sed paulo ætate inferior, nobilis ille Gersonius, quem quum prudentia, tum etiam eloquentia præstitisse accepimus. Sed quam parum de puellis fuerit sollicitus, ex eo patet quod, in eo notissimo opere, unice pueris consuluerit,

(1) Æg. Columnæ. *De Regimine Principum*. *Æg. Columnæ vita*, p. 4.

(2) Æg. Columnæ. *De Regimine Principum*, Præf. p. 1.

(3) Æg. Columnæ. *De Regimine Principum*. Pars. II. L. II. C. XV, XVI, XVII. p. 328, 331, 334.

quos non sine jucunditate quadam cum iis arboribus comparabat « quæ sequuntur leviter quo docentis manus deflexerit (1). » Huic Philelphus proximus fuit, qui nihil laborabat aliud, nisi ut pueros adduceret ad has antiquitatis disciplinas, quibus « nihil abjectum, nihil humile, nihil non admirandum (2) » sapere assuescimus. Eodem in genere est habendus Laurentius Valla, qui *Antidoti in Pogium libros quatuor* composuit ; in quibus vehementissime querebatur « artes... sine ordine sineque certa ratione tradi », juvenesque ac « cæteros bene discendi studiosos » impellebat inprimis ad colendam eloquentiam, ne, quum « prisca illa sæcula tot egregiis oratoribus floruissent », hæc recentior ætas « tantum ab ea gloria degeneraret, ut propemodum ipsum etiam oratoris nomen amisisse videretur (3). » Nec vero prætereundum Mapheium Vegium arbitramur, qui toto animo incubuit et studio omni in eam « bene educandorum filiorum rationem », ut « inter cæteros mortales, et divitiis, et gloria, et virtute præstantes.... et fama celebres, et rerum gubernatione magni atque excellentes viri (4) » haberentur. Et quidem per idem tempus fuit Æneas Silvius Piccolomineus, « ille vir non obscurus, aut vulgaris, sed quovis etiam principe major in postrema vitæ suæ parte

(1) J. Gersonii. *Opera*. Parisiis, 1606.
De parvulis ad Christum trahendis, T. II. Col. 376.

(2) F. Philelphi. *Epist.* Venetiis, 1494.
Epist. Sphortiæ secundo, L. IX. p. 45. V°.

(3) L. Vallæ. *Antidoti in Pogium*, Lugd. 1532. L. 1. p. 3.

(4) *De Educatione liberorum et eorum claris moribus.* M. Vegii. Parisiis, 1511.
Lib. I. p. 1.

habitus. » Is tamen, quum « illitteratum regem » nil aliud quam « coronatum asinum » duceret, quoniam nihil est « in terra pretiosius, nihil præstantius illuminato intellectu », pueros, aut potius regum pueros informare in animo tantummodo habuit. Quare « quæ Regis pueri, quæ juvenis, quæ viri, quæque senis partes essent (1) », dilucide et perspicue expedivit. Postremo illud tantum sibi proposuit Machiavel (2), ut Principem videlicet institueret, quia neminem existimabat de republica melius mereri posse, quam qui Principis animum optimis ac principe dignis rationibus, ut aiebat, imbuerit.

Quocumque igitur te animo et cogitatione converteris, multos sane ante Vivem hoc scriptionis genere floruisse videbis; neminem autem fuisse ne mediocriter quidem disertum, quum usque a Carolo Magno repeteres, qui, quasi dedita opera, exquisitius quam vulgus hominum puellarum institutioni studuerit, animadvertes. Itaque non habemus quemquam Vive antiquiorem cujus quidem scripta proferenda putemus, et hanc quum jam habeat præcipuam laudem, non videmus cui cedere debeat.

Quin imo jure mireris, quum *Institutio fœminæ christianæ* ederetur, hoc est quum nubes, post longam noctem, fugaverat recedentesque tenebras dissipaverat illa renascentium studiorum aurora, neminem usque, in tanta ingeniorum varietate et copia, hanc de qua disputatur rem attigisse. Attamen ita res est. Sic

(1) Æn. Silv. Piccolominei. Basileæ, 1551, *De liberorum educatione*.

(2) Machiavel. *Il Principe*.

Erasmus ipse, quum mira vehementia suæ ætatis vitia nusquam non insectaretur, eisdemque studiis et amicitia Vivi conjungeretur, tamen in hanc controversiam non sedulo operam dedit. Quod unum de Luthero dixerimus, quem constat eodem fere tempore « ad Senatores » et « Magistratus » qui civitatibus Germaniæ præerant misisse notissimum libellum illum, cui *De instituendis pueris* nomen est. In quo « pistrinas » istas, et « carnificinas », quæ « ferulis, virgis, lorisque » personabant, et hæc « asinorum bipedum stabula ». quæ « nugamentis Casualium et Temporalium » strepebant, atque « tartareas larvas, Monachos scilicet.... ventrosos », vel, mehercule, si mavis, porcos (1) », solito impetu et quadam commotione animi sane invasit et adortus est ; exiguum vero studium, ut postea videbimus, puellarum institutioni dicavit. Atque his duobus annumerandi sunt alii, et inter illos, Joachimus Fortius Ringelbergius (2), Sadoletusque, quibus illud modo cordi fuit, ut liberaliter pueri erudirentur, « sive jus civile voluerint exsequi, sive reipublicæ curam domi bellive, sive quamcumque aliam artem sectamque earum quæ cum honore laudeque suscipiuntur (3). » Montanius vero ac Rabelasius, qui nunquam non communi consensu horridos pueritiæ magistros tam lepide, tam festive insectati sunt, tamen non expetendam esse puellis litterarum cognitionem existimaverunt.

(1) M. Lutheri. *De instituendis pueris,* T. VII. p. 440. Passim. Witebergæ, per Thomam Klug, 1558.

(2) J. Fortii Ringelbergii.
Liber de ratione studii, Lugd. 1531.

(3) J. Sadoleti. Lugd. 1533. p. 148.
De liberis recte instituendis.

Quid nunc de Budæo, qui tantopere meruit iis de litteris, « quas prisci tum ingenuas, tum liberales appellandas esse duxerunt ; hoc nimirum intelligi volentes, dignas artes illas iis hominibus esse, qui nec servitutem servirent, nec degeneri mente nati aut obnoxia forent (1) » ? Quid de Ramo, qui vitam insignem insigniore morte decoravit ? Quid de Bodino ? Quid de Zwinglio, qui tanta jucunditate disseruit de illa puerorum ætate, qua « jam sapere ac sine cortice natare incipiunt (2)? » Quid denique de Marnixio ? Vix excipimus illum, multo anteriorem, nec omnino indoctum scriptorem, cui vulgo « Auctor anonymus, patronus Regius causarum Ecclesiasticarum in Ducatu Aquitaniæ » nomen est. Qui quidem, in illo non contemnendo sane opere quod *De recuperatione terræ sanctæ* inscribitur, puellas diligentissime, et id multas ob causas, instituendas esse existimabat. Etenim quum « terram sanctam precioso sanguine, operibus et corporali contactu Domini nostri Jesu Christi sanctificatam et dedicatam, præ cæteris omnibus.... esse pacificam » oportere judicaret, volebat puellæ quædam, ad id quod requirebat obtinendum, latina, græca, arabicaque lingua tinctæ, imo « in Medicina et Chirugia versatæ », in terram sanctam et in alias regiones mitterentur, « prout sancta romana Ecclesia per deputatos ad hoc duxisset ordinandum (3). »

(1) G. Budæi. *De studio litterarum recte et commode instituendo* p. 1.

(2) D. H. Zwinglii. *Opera*. Tiguri, 1530.
Quo pacto ingenui adolescentes formandi sunt, T. 1. Præf. p. 278. V°

(3) *Gesta Dei per Francos*. Hanovræ 1611.
De Recuperatione Terræ Sanctæ.. T. 11, p. 316, 333, 344.

Cunctos igitur percense : licet ex eorum operibus eligas quæ notatione et laude sane digna sunt, sed ne unum quidem inter omnes reperias qui puellarum institutionem ante Vivem præcipue curaverit. Vives vero non modo suæ ætatis errores depellere inertiamque, quæ usque invaluerat, majori verborum gravitate et elegantia et copia exagitare conatus est ; verum etiam sparsa, vel facta neque diligenter neque ordine, distincte collegit, congesta digessit, confusa et permixta ordinavit, ambiguis attulit lumen, novum denique aliquid instauravit, et suam quamdam expressit quasi formam rationemque disciplinæ. Quare firmissime confitemur nonnullos ex iis quos diximus et ingenio, et magna scribendi laude, et summa rerum scientia floruisse ; talem vero exstitisse, qualis fuerit Vives, prorsum negamus.

Hæc fuse et copiose commemoranda putavimus, quippe qui illud ea scriptorum enumeratione assequamur, ut intelligas primum quid tandem habuerit illud opus quod novum esset, deinde quibus de causis Vives non modo inter suos æquales, verum etiam inter omnes anteactæ ætatis auctores longe eminuerit. Sed hoc non minus adhuc præstare videtur, quod, quum multa huic institutioni, ut supra dictum est, desint, tamen egregie enucleavit quod genus instituendi puellarum infantiam et adolescentiam optimum esset, pravamque et corruptam consuetudinem proba sanaque ratione emendavit. Quod quidem jam manifestius erit, si primum exposuerimus qualis tum fuerit prima puellarum educatio, de qua difficile est plus intelligere, quam quantum ex operibus scriptorum, qui his temporibus vixerunt, suspicari licet.

Constat tum solitos esse parentes natalem filiæ diem non ita jucunde prosequi, nedum albo calculo, ut aiunt, notarent. Quippe qui, vix tumente uxoris utero, jam nihil antiquius haberent, quam ut ad se astrologum accerserent, curiosissimeque ab eo sciscitarentur « masculusne proditurus » esset, « an fœmina (1). » Si forte puer natus esset, lætitiam apertissime ferebant omnes, tanquam si felicius matrem « peperisse catulum, quam catellam » existimavissent. « Marem » nimirum « natura præstantiorem.... quam fœminam » putabant, seu viribus antecellebat ille, seu rarius morbis afficiebatur, seu denique prior creatus fuerat. Quod quidem egregie significaverat olim Paulus, cujus sententia est : « Viri caput... esse Christum », « mulieris » autem « caput virum » ; Dei « imaginem et gloriam » esse virum, « viri » autem « gloriam (2) » mulierem. Sed qualescumque fuerint causæ, pro certo habendum est summam primæ puellarum infantiæ fuisse incuriam, summaque negligentia fuisse parentes qui industriam in equis aut canibus alendis spectari volebant, prudentemque virum de conducendo « accipitrum curatore » consulebant, at puellæ institutionem ita floccifaciebant, ut mulierculis aurem perverse præberent.

Jam hoc insigniter absurdum erat vigilanter parentes providere ne vel ad venandum canis, vel ad currendum equus parum aptus esset ; filiam vero informare, quæ magnam domesticarum rerum partem in se derivaret,

(1) Erasm. *De pueris statim ac liberaliter instit.*, T. 1. p. 423.
(2) Erasm. *Colloquia.*
Puerpera, T. I. p. 649.

quæ piam, utilem, nec non jucundam festivamque se præstaret, minime curare. At illud crudelius erat, quum nulla terra id quod gignit non nutrire, nec ullum animantis genus suos fœtus non alere, dicatur, statim a partu puellam, tenera voce matris auxilium implorantem, alienis uberibus committi exteræque tradi mulieri, quæ, id quod attinebat ad cibum, ad somnum, ad potum, ad motum, ad balnea, perinde jam quasi parvi momenti res ageretur, pro nihilo plerumque ducebat. Ex quo jam fiebat ut multæ puellæ gravissimis morbis postea laborarent. Nec mirum ! utpote quæ a pueris indiligenter educatæ (1) fuerint ab ea nutrice quæ vinum aut salsamenta alumnis ingerere solebat, et, dum metueret ne nimium graciles evaderent, nolentibus atque repugnantibus etiam immodicum cibum infarciebat, nec providebat ne alimentorum copia vigor ingenii sepeliretur, inopia autem flaccidum corpus efficeretur.

Attamen circa vestitum et ornatum non minus peccabatur. Namque ut eos improbaveris parentes, qui, sæviente hieme, teneros admodum pueros ab ædibus excludebant, ut adversus frigus ac gelu firmarentur ; sic eos, mehercule, tota via facile errare dixeris, qui puellam vestibus ad ostentationem paratis ita operiebant, ut simiam humano cultu verius ornare viderentur. Nam quid memoremus « pilea » illa, illas graves longeque fluentes « fimbrias », illos nescimus quos « thoraces », nec non « caligas », et « interulas », et « vittas », et « caliendra », et « epomides », et « indusia

(1) Erasm. *Colloquia.*
Puerpera, T. I. p. 653.

linea », et « subuculas », et ingentes « caudas replicatas in cingulum a tergo », et « calceolos » gravibus soleis et undique duplici corio, perinde ad calcium certamen quasi pararetur, multaque alia quæ quum caput tum pectus et humeros et lumbos eo pondere premebant, quod « homo sexagenarius (1) » non tulisset? Quid tandem his rebus fiebat? Imbibebat paulatim tenera ætas stultam vestium ambitionem quam difficillime postea dediscebat, nec ad justam magnitudinem mollia corpora dilatabantur.

Has autem « ineptias » summa industria et admirabili studio quodam Vives impugnavit. Etenim quam multa scienter, quam multa proprie, quam multa leniter his de rebus, quibus nihil aliud magis ad parentes pertinet, id est *de Educatione virginis infantis, de Reliqua infantia, de Ornamentis* disseruit! Jam in his enucleandis invenit parem neminem, utpote qui nihil non ad rationem et tanquam ad prudentiam direxerit. Magna sane hæc ingenii signa; sed, quum multa sibi suo jure, nihil certe magis vindicare posset, quam ea quæ de matris officio prædicavit. Quam quidem non tam facundam, hoc est garrulam, (quid enim est facundia in fœmina nisi garrulitas), neque « saltatricem », nec « dicacem », nec « ludibundam », nec « festivam » volebat, quam « sapientem frugalem, gravem (2) », curæ rerum domesticarum, quæ peculiaris provincia est matronarum, intentam, in cubiculo « uxorem », in officina « textricem », in taberna « aulæorum venditricem », in culina « coquam »,

(1) Erasm. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 593.
(2) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. XV. p. 695.

inter famulos et famulas « dominam », inter liberos « matrem (1) », et tamen hæc omnia eadem in domo, ut decet « illarum animos fingi..., quæ nobis in omni vitæ ratione sociæ sunt inseparabiles (2) ».

Fuerit hæc disputatio Vivi cum nonnullis aliis communis, libentissime confitemur. At ille gravioribus et firmioribus usus est argumentis ad probandum id quod explanari volebat, eaque in unum tanquam corpus coegit, et ita conglutinavit ut, quæ adumbrata tantum erant ab aliis, ea absoluta jam apud ipsum et ad summum quasi perducta esse viderentur. Sed pergamus quo cœpimus, servatoque hujus disceptationis ordine, nunc demonstremus quanta diligentia prædicaverit necesse esse puellas in litteris erudiri.

Vetus controversia erat quæ tum varie exercebat ingenia, utrum præstaret rerum rudes omnino esse puellas, an doctrinam aliquam odorari. Alii enim asseverabant, si quid ex multis testimoniis colligere licet, quum cætera, tum vero græca latinaque opera « parum decoram... supellectilem » esse, ut quæ multam cerebri partem mulieribus ademissent, quum « parum alioquin » in iis jam inesset, et bis stultas esse doctas mulieres, atque ut clitellas non bovi, ita mulieri litteras non magis convenire. Itaque nolebant, id quod « Abbas » ille de suis « monachis » dictitabat, eas « frequentes in libris (3) », quum inde ne minimum quidem fructum capere possent.

(1) Erasm. *Colloquia.*
Puerpera, T. I. p. 654

(2) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, Præf. T. II. p. 648.

(3) Erasm. *Colloquia.*
Abbatis et Eruditæ, T. I. p. 629.

Patiebantur autem alii mulieres plenos illos « Milesiis fabulis » libros interdum legere, at rarum et insolitum esse contendebant eas latinam linguam tenere, nedum consuetudinem cum antiquitatis scriptoribus facerent. Sed quum alii alia in utramque partem dicerent, nemo sapientius quam Vives hanc solvit disceptationem. Is enim dolebat quod, quum de canibus ad venandum et asinis ad ferendum onus instituendis multa accurate scripta essent, illud venisset in controversiam, num expediret « fœminam litteras nosse (1) » :

« Ergo, inquit, uxor aut filia tua discet quemadmodum se comet et pectet et fucabit, et insolabit capillos, et subfumigabit chirothecas, et acu supparos pinget, et qua pompa incedet ; et quibus verbis erit vel ad lasciviam vel ad superbiam instructa non audiet, quomodo hæc nugamenta contemnet ? Quomodo ornabit mentem... ? Hujus tu es sententiæ homo christianus, qua nunquam fuisset stolidissimus gentilis ? Excludetur igitur mulier ab omni bonarum rerum cognitione (2) » ?

Deinde non acute modo, verum etiam ridicule ac facete adversariorum opinionem impugnavit. Etenim quum non ignoraret quæ bona sint fieri doctrina meliora, et quæ non optima aliquo modo tamen corrigi et acui posse, vehementissime affirmavit, ut virum, ita mulierem ipsam animal esse ratione præditum, neque ad flagitia quasi insita lege impelli, sed usu consiliisque ad virtutem adduci posse, et ab ipso

(1) Viv. *De Officio mariti*, T. II. C. III. p. 622.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. C. III. p. 623.

Christo ad « mysteria... pietatis (1) » olim admissam fuisse ; si melior non esset, nostrûm esse culpam qui doctrinam subtrahimus.

Postremo his argumentis, ex honestissima causa natis et ab optima ratione profectis, Aristotelis ipsius opinionem addidit qui existimabat « eas civitates, quæ fœminarum institutionem parum habebant rectam, magna se felicitatis parte orbare (2). »

Quæ res quum per se jam miranda esset, tum multo magis erit consideranti quis puellarum institutionis status id temporis fuerit.

Genera autem disciplinæ duo erant. Plurimi absolutas fore puellas arbitrabantur, si a primis annis domi tenerentur, donec adolevissent, et inde aut in mariti traderentur imperium aut in sacrarum virginum ergastulo includerentur. Ita prorsus existimaverant quum cæteri Ecclesiæ Patres, tum vero inter eos, ut reliquos prætermittamus, Gregorius Nazianzenus ille, qui plus quam satis esse ducebat puellas « radium ferre, et colum tenere, ac telæ assidere (3). » Nec aliter per medium ævum non quivis homines, sed summo ingenio præstantes ea de re senserant. Quam quidem opinionem mirabiliter significavisse nobis videtur Ægidius Columna, qui optime fore judicabat, si puellæ ita domi usque ad nuptias includerentur, ut « a circuitu, et discursu » cohiberentur, utpote quæ hoc tantum modo non solum verecundæ

(1) Viv. *De Officio mariti*, T. II. C. III. p. 624.

(2) Id. *De Inst. fœm. christ.*, Præf. T. II. p. 648.

(3) S. Gregorii Nazianzeni. *Opera*. Lut. 1609. — *Epist. Nicobulo*, T. I. p. 871.

efficerentur, verum etiam « quamdam silvestreitatem, quæ ad salvandam pudicitiam » aptissima est, contraherent. Sed quum parum adhuc esset eas sub custodia teneri, volebat easdem intentas esse ad « aliqua opera », quia « texere, et filare, et operari sericum, satis videntur opera competentia feminis », atque in otio vivere nescirent, earumque mens « circa illicitas occupationes » vagaretur. Quod si tamen una aut altera « in alto gradu » esset, « tradenda esset studio litterarum (1). » At quale studium, Dii boni !

« Sufficit, ait, quod talia proponantur grosse, et in quadam summa : ut quod eis dicatur, quod unus est Deus omnipotens creator omnium, qui est pater et filius et spiritus sanctus. Quod Adam primo parente nostro peccante, et humano genere per peccatum ejus infecto, Dei filius, ut nos redimeret, assumpsit carnem in beata Virgine, et est natus ex ipsa. Quod ipse Dei filius propter peccata nostra fuit passus, mortuus et sepultus. Quod descendit ad inferos, et eduxit inde captivas animas ibi existentes. Quod tertia die resurrexit a mortuis. Quod ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei patris. Quod iterum venturus est ad judicium : et omnes resurgemus, et stabimus ante tribunal ejus, reddituri de factis propriis rationem ; ita quod qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui vero mala, in ignem æternum (2). »

In eadem erat sententia, qua Ægidius Columna, Gersonius, cui puellarum natura adeo maligna

(1) Æg. Columnæ. *De Reg. Principum.* Pars II. L. II. C. XIX, XX. p. 341-344.

(2) Id. *Ibid.*, Pars II. L. II. C. V. p. 300.

videbatur, ut in hunc modum sit locutus: « Omnis doctrina mulierum... reputanda est suspecta (1). » Quid multa? Quum illud compertum haberetur, « valde deficere a perfectione virorum » puellas, jam eas ipsas omnibus numeris absolutas fore plurimi putabant, si « ad temperantiam, et ad taciturnitatem, et ad stabilitatem (2) » eæ inducerentur.

Attamen alterum erat exquisitioris disciplinæ genus, quod ad morum civilitatem et elegantiam potissime pertinebat. Quod et quale fuerit, multis e testimoniis perspicere licet.

Jam vere ingenuæ putabantur puellæ, si vel saltando, vel ducendo choreas, vel ineptiis altercando, excellerent. Quibus cultus cura ante omnia cordi erat: mane fervere « opera comptricum ac fucorum », hinc ad « sacrum » ire quo spectarent vicissimque spectarentur, mox « jentaculum », deinde « fabulæ ». Post hæc prandium, et a prandio « stationes », nugæ, facetiæque. Tum puellæ inter se assidere, tum occurrere viri, et earum ante genua procumbere. Quæ neminem repellebat, ea propter civilitatem maxime laudari. Deinde inepti, nonnunquam parum pudici lusus. Sic pomeridianum intervallum transigebatur, donec rediret cœnandi tempus, et a cœna rursus eadem, quæ fuerat a prandio, civilitas (3).

(1) Gersonii. *Opera*. Parisiis, 1606.
De Examinatione doctrinarum, Pars II. Consid. 1. T. 1. Col. 541.

(2) Æg. Columnæ.
De Reg. Princ., Pars 1. L. II. C. XIX, p. 273. 274.

(3) Erasm. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 597.

Nec illæ deerant matres quæ miras in instituenda juventute magistras sese existimarent, si puellas vix fari incipientes ad « aulicos mores », id est ad rem omnium stultissimam et insaniæ cujusdam haud dissimilem, prudentissime scientissimeque fingerent. Cujus disciplinæ hoc erat caput, ut ad singula verba, quibus cum matre loquebatur puella repeteret : *Madame ma mère;* etsi quid negaret, pro *Nany* responderet : *Salve, vostre grace, Madame* (1). Hæc etiam civilitatis pars putabatur, puellas *Lancilotum a lacu* multaque alia, quæ supra diximus, legere opera, quorum ea vis erat quæ earum animos falleret, ut « volucrem auceps fallit visco et fistula (2) », amatoriisque historiis a tenera ætate assuefaceret, et doceret vitia, priusquam nossent quid esset vitium. Quarum quidem fabularum « argumentum » illud fere erat : « Delusus ab uxore maritus, aut puella frustra servata a parentibus, aut furtivus cum amatore concubitus (3). » Atque hæc ita referebantur quasi bene gesta fuissent, felicique nequitiæ plaudebatur !

Postremo inani pietate imbuebantur et illiberali, quæ repugnabat illi veræ generosæque pietati cujus hæc summa est, Deum super omnia esse metuendum et amandum, qui condidit, qui restituit ac gubernat universa, nusquam non præsentem, nihil non nescientem, hunc sibi fidentibus et ipsius præcepta servantibus daturum vitam æternam, hunc esse « remuneratorem

(1) Erasm. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 594.
(2) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. XIII. p. 686.
(3) Erasm. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 598.

omnium bonorum », ita et « omnium malorum esse ultorem (1). »

Quid jam postea expectandum esset ab iis puellis quæ a tenera ætate « in molli otio, saltationibus, et omni luxu enutritæ » pessimisque disciplinis, id est « libidinum, adulteriorum, fornicationum, lenociniorum historiis » imbutæ erant, inutile est longius disserere, quum res ipsa satis declaret. Quippe quæ simillimæ essent iis Ægyptiorum delubris quæ foris pulcherrima erant, at intra parietes, pro Deo aut « simiam », aut « ciconiam », aut « hircum », aut « felem » servabant. Quare meram earum colloquia stultitiam redolebant. Ut enim principes de canibus, de venatione, de silvæ ambitu, de lustrorum ambage, multa garrire solebant ; sic illæ nihil aliud agebant, nisi obtrectabant, fanda nefandaque effutiebant, vera falsis commiscebant, otiosissimosque sermones plerumque producebant. Namque nihil aliud antiquius habebant, quam ut longissime scientissimeque disputarent « quomodo componenda coma, quomodo pectenda, quomodo tingendi capilli, quomodo fricanda facies, qualiter complicanda vestis, qua pompa incedendum, assurgendum, decumbendum ; quibus quo vestitu fas » esset « incedere, quæ quibus loco cedere » deberent, « quot inclinationibus salutare, quæ ad quorum oscula venire fas aut nefas » esset, « quæ asino, quæ equo, quæ sella, quæ curru, quæ lectica vehi » oporteret, quæ aurum, quæ gemmas, quæ corallia, quæ torques, quæ inaures, quæ

(1) Erasm. *Christ., matrim. Inst.*, T. V. p. 594.

armillas, quæ annulos, quæ monilia ferre » possent, « cæteraque Semiramidarum legum nugamenta (1). »

Voluimus hoc perspicias, conquisitis nonnullorum scriptorum sententiis, qui tum fuerunt, quantopere et inauditum et novum et mirum esset hoc opus, in quo Vives, pro inani morum civilitate quadam et inscitia, seriam finxit rationem, omniaque studia ita cognatione conjunxit, ut poetas, philosophos, historicos, Ecclesiæ Patres ipsos, quasi agmine facto, ad liberaliter instituendas puellas vocaverit. Quibus autem causis eas diligenter erudiendas esse senserit, dignum est quod attentissime animadvertatur, quum in ipsius disputatione et argumentatione acumen quoddam singulare eniteat.

Illud primum affirmavit, nullo modo eo pejores fieri puellas, quo doctiores evaderent, neque bonas, nec malas tanquam insita lege nasci, sed aut ad virtutem, aut ad vitium aliorum exemplis et conspiratione quadam incitari posse; si nonnullæ essent malæ, non ideo, hercule, accusandam esse naturæ malitiam, et eos merito irridendos esse qui, propter aliquas parum probatas, in omnes alias invecti essent; meram denique esse dementiam, eas ab omni bonarum rerum cognitione excludi. Ideo lepidissime suadebat iis, qui aliter sentiebant, ut non tam puellas, quam asinos, aut boves gignerent, seduloque darent operam ut quidquid esset in puellarum animis ad res pulchras et honestas colendas, exstinguendum curarent, easque bestiis quam hominibus similiores efficerent. Negavit item probitati

(1) H. C. Agrippæ. *Opera.* Lugd. per Beringos fratres. *De Vanitate scientiarum*, T. II. C. LXXI. p. 151, 152.

officere eruditionem, quippe si res ita se haberet, satius esset puellas inter imperitos quam inter doctos, satius in saltu aliquo quam inter homines vivere. Etenim quum nihil puellis decentius ornamentum quam sobria scientia sit, quid jam eveniret, si nihil unquam de honesto, nihil de recto, nihil de malo, nihil de vitio audirent? Eos denique male agere existimavit qui neque bonum, neque malum filias scire paterentur, quoniam multis « suspectæ doctæ fœminæ » erant, tanquam si « malitiæ naturali » accederet « adjumentum astutæ eruditionis (1) » !

Vives vero adeo non contendit castitati per seipsas officere litteras, ut bonas atque utiles esse eas vehementissime asseverârit, quum certe hoc præstet studiis exercitatus animus, quod clarius æquas probasque rationes intelligat, videatque quid deceat, et quid expediat. Melius enim malum a bono discernet rite docta puella, et quod faciet, id cum judicio faciet, quum nulla firmius casta sit, quam quæ ratione casta est, eaque demum pudica sit quæ, quid sit pudicitia, non ignorat :

« Mulierem non facile invenias malam, aiebat, nisi quæ... non considerat, quantum sit bonum pudicitia; quantum scelus admittat, si eam perdat : quam turpi, et levi, et momentanea voluptatis imagine, quantum bonum commutet : quantum simul malorum agmen introducat, ejecta castitate (2) ».

Imo pro comperto plane habebat « malas » mulieres « rudes » ac « ignaras » prorsus fuisse litterarum,

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. IV. T. p. 654.
(2) Id. *Ibid.*, T. II. L. I. C. IV. p. 654.

« doctas » vero « probas » decorisque amantissimas. Atque plerasque existimabat solam ob hanc causam « difficiles » esse, « morosas », studiosas cultus, « admiratrices nugarum », in prosperis insolentes, in adversis abjectas ad mærorem, denique « intolerabiles », quod nulla meliorum rerum cognitione imbutæ, aliud nec amare poterant, nec odisse, quam quod didicerant « sub indocta matre (1). Itaque frugiferam esse et salubrem puellis disciplinam arbitrabatur, quod eo modo facilius ad amplectendam, colendam, fovendam virtutem inducerentur. Etenim quum earum quæ litteris se tradunt totam mentem occupet doctrina et in pulcherrimarum rerum cogitationem attollat, a turpitudine etiam et a flagitio deterret, atque in virtutis contemplationem adducit. Quare eæ puellæ quæ discendis litteris operam dabunt, non abhorrebunt tantum ab istis corruptelis quæ animum quasi polluunt, sed etiam ab illis levioribus oblectamentis, scilicet saltatione, cantu, concentu, cæterisque rebus in quibus ne boni quidem umbram attingerent. Imo, si probe doctæ fuerint, linguæ potentes erunt, neque commissa enuntiabunt.

Atenim exempla, mehercule, non desunt quibus doctas simul et impudicas fuisse mulieres apertissime probatur. Quid vero postea? Plures profecto, si « doctas acies (2) » explicaremus, ab ipsis temporibus antiquis usque ad recentiorem ætatem, ante oculos occurrerent et quasi lucerent, quarum formæ et gratiæ adjumentum eruditionis accesserit ! Jam prodiret in primis illa

(1) Viv. *De Officio mariti*, T. II. C. III. p. 623.
(2) Id. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. I. C. IV. p. 655.

Gracchorum mater, quæ summæ liberorum eloquentiæ tantum contulit. Prodiret illa Porcia, quæ Catonis ipsius sapientiam animumque in moribus et in omni sua vita retulit. Prodiret Hortensia illa, quæ paternam in eloquendo vim reddidit. Prodirent denique multæ aliæ, apud quas præstantissimus animus nec non omnium virtutum exemplar relucebant. Quis enim ignorat ipsam Caroli Quinti matrem ita latinis litteris fuisse eruditam, ut legatis ex tempore elegantissime copiosissimeque responderet? Quid quod filiæ Thomæ Mori, cujus domus « nihil aliud quam Musarum domicilium » erat, « primum castis ac sanctis moribus, deinde politioribus litteris » ita imbutæ erant, ut apud eas esse « alteram Platonis academiam » dixeris, in qua non de « numeris ac figuris geometricis », sed de virtute deque religione disputabatur, quum in « hoc choro amabili » nulla non vacaret « liberalibus disciplinis frugiferæque lectioni, tametsi præcipua primaque pietatis cura (1) » esset. Quid quod denique huic numero adjungere potuisset Vives in Germania Bilibaldicas et Blaurericas, quæ doctissimæ, ut erant, nec non virtute pudicitiaque præstantes habebantur?

Postremo aliud est quo ab antiqua disciplina Vives desciverit.

Etenim ex quo « præcipuus Ecclesiæ doctor (2) » ille, Paulus, dixerat : « Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit (3) », plerique superioris ætatis auctores ea

(1) Erasm. *Ep. G. Budæo*, T. I. L. XVII. p. 760.
Ep. J. Fabro, T. I. L. XXVII. p. 1506.
(2) Erasm. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 513.
(3) *Ad Corinth.*, *Epist.* VII.

potissime præscripserant quæ ad servandam virginitatem pertinebant. Namque tantum virginitatis honorem omnes Ecclesiæ Patres habuerant, ut ejus dignitatem matrimonio ipsi prætulerint, tantumque virginitatis amorem in animos immiserant, ut non solum adolescentes ac puellæ volentes a conjugio abstinerent, verum ii etiam qui, ante susceptam Evangelii professionem, uxores duxerant, ab earum complexu concubituque longissime recederent. Itaque quum mallent « adhortari ad optima, et manum porrigere ad altissima, quam erudire inferiora (1) », in castitatis laudibus celebrandis toti erant. Affirmaverat enim Ambrosius « meliorem esse sterilitatem cum virtute (2), » et « Christi lilia » esse « specialiter » sacras virgines quæ eam « angelorum » effingebant vitam « quam in Paradiso quondam (3) » amisimus. Putaverat autem Augustinus « præcelsiorem » omnibus bonis virginitatem esse, quia « naturam vincit et pugnam ; naturam, corporis integritate ; pugnam, pace castimoniæ (4) », Cyprianusque dicatas Deo virgines laudaverat, « decus atque ornamentum gratiæ spiritualis.., honoris opus integrum atque incorruptum, » quibus « Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas (5) » floret. Hilarius vero, quum

(1) Viv. *De Inst. fœm, christ.*, Præf. T. II. p. 648.
(2) S. Ambrosii. *Opera.* Parisiis, 1690.
De Virginibus, T. II. L. I. C. VII. p. 158.
(3) Id. *Ibid.*, T. II. L. II. C. XV. p. 269. C. XVII p. 272.
(4) Augustini. *Opera.* Basil. 1539.
De Ecclesiasticis dogmatibus, T. III. p. 146.
(5) Cypriani. *Opera.* Basil. 1525.
De Habitu virginis, p. 153.

« perfectam beatitudinem » sanctorum non « in his terrenis et corporalibus » esse sperandam existimaret, vehementissime Paulum probaverat dicentem : « Vellem omnes homines esse sicut et me (1) », id est in virginitate perseverare. Quid quod virginitatem Epiphanius « fundamentum » ac velut « crepidinem » quamdam « in Ecclesia (2) » arbitratus erat, Basiliusque prædicârat « angelis similes virgines (3) » esse, atque Gregorius Nyssenus virginitatis participes « quasi deos (4) » effici ? Eminuerat hæc opinio non modo in prima illa Ecclesiæ origine, verum etiam in media ætate perseverârat, namque Bernardus « virgines angelis dei » esse « æquales », « feliciores (5) » esse in « æterna beatitudine », ac « vivere angelice inter homines, et in terris more cœlestium conversari (6) » judicabat.

Nemo igitur miretur non eamdem circa matrimonium fuisse diligentiam, nec ulla pæne præcepta, quæ ad mulierum officium pertinerent, fuisse tradita. Etenim ex quo « vas electionis » hæc locutus erat : « Mulier innupta cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu » ; quæ vero « nupta est, cogitat

(1) Hilarii. *Opera.* Basil. 1550.
In CXXVII Psalm. Enarratio. p. 153.

(2) Epiphanii. *Opera.* Parisiis, 1632.
Adversus hæreses, T. II. L. III.

(3) Basilii. *Opera.* Parisiis, 1618.
De vera Virginitate, T. I. p. 737.

(4) Gregorii Nyss. *Opera.* Parisiis, 1615.
De Virginitate, T. I. C. I. p. 545.

(5) Bernardi. *Opera.* Parisiis, 1621.
De Virginitate sermo XXI, p. 1267.

(6) Id. *De Adventu Domini. Homilia III,* p. 28.

quæ sunt mundi, quomodo placeat viro (1) »; cæteri unanimo consensu enumeraverant quantis negotiis matrimonium abundaret. Jam Ambrosius, Augustinus, Damascenus, Basilius, multique alii inter se certare videbantur, quemadmodum « nutriendi, instituendi et copulandi molestias (2) », et alias naturæ « contumelias, novem mensibus uterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos (3) », tanquam in bono lumine collocarent. Quinimo usque ad incredibilem fere feritiam Bernardus processerat, qui puellis sedulo suaderet ut quam diligentissime vitarent societatem « secularium fœminarum », quia « seculum diligunt, et de secularibus loquuntur, terrena amant..., transitoria concupiscunt », ac « mulier secularis organum est Satanæ (4) ». Postremo quum Mathæus ille dixisset: « Væ prægnantibus », sic omnes virginitatem cum matrimonio comparaverant ut hoc sæpissime reprehenderent, illam autem laudarent, ab hoc tentando deterrerent, ad hanc amplectendam hortarentur. Jam vero quantum ab his differt Vives qui matrimonium laudibus extulit, quantaque ejus « sacramenti » esset dignitas revocavit, ac multa ad hoc auspicandum ineundumque prudentissime præscripsit! Non enim instituendam virginem suscepit, quia ut est « elegans quidem res puella virgo », ita nihil « juxta naturam prodigiosius anu virgine (5) », sed matrem quæ litteris egregie erudiretur,

(1) Hieronymi. *Opera*. Parisiis, 1533.
De perpetua virginitate Mariæ, T. II. p. 6.
(2) Ambrosii. *De Virginibus*, T. II. C. VI. p. 153.
(3) Hieronymi. *De perpetua virginitate Mariæ*, T. II. p. 6.
(4) Bernardi. *Sermo LVII. Ut laïcæ mulieres vitentur*, p. 1300.
(5) Erasm. *Colloquia*.
Proci et puellæ, T. I. p. 985.

nec non, id quod respondisse fertur Lacæna mulier illa in bello capta, « domum regere (1) » sciret.

Quæ Vivis propria atque peculiaria dici possint, quæque nova protulerit, et quatenus recentiorem ætatem quasi denuntiaverit, cuique jam animadvertere facile est.

---

(1) Viv. *De Inst. fœm. christ.*, T. II. L. II C. IX. p. 729.

CAPUT V

Vivis comparatio cum nonnullis aliis scriptoribus qui de puellarum institutione disseruerunt

Quid de *Institutione fœminæ christianæ* sentiendum esset, satis abundanter, ut arbitramur, explicuimus. Illud igitur ejus disceptationis erit extremum, ut breviter exploremus quæ aut omnino, aut aliqua ex parte, Vivi communia sint nonnullisque aliis qui de puellis erudiendis ab illo tempore disseruerunt.

Primum Erasmus, quamvis paulo antecederet ætate, tamen Vivem ante alios omnes quum sententiis, tum verbis ipsis prosecutus atque imitatus est. Etenim incredibile est quam multa sit ab eo mutuatus, quamque non semel ea quæ suo instituto convenire viderentur transtulerit in illa opera quibus *De pueris statim ac liberaliter instituendis* et *Christiani matrimonii Institutio* (1) nomen est. Namque, nec sane timemus ne Vivis gloriam augere quodam modo videamur, quidquid notatione et laude dignum judicabat apud nostrum, apis illius more, decerpsit atque

(1) Erasm. *Opera*. T. I. p. 421. T. V. p. 513.

delibavit. Jam vero de prima, hoc est materna educatione, post Vivem accurate disputavit, nec non vehementissime increpuit crudelem eorum pietatem qui parum esse christianum tam sedulo curari corpus stultissime asseverabant. Illud autem matres diligentissime admonuit, ne vulgi vel judicium vel exemplum sequerentur, nec genuisse satis haberent, teneramve filiarum infantiam alienis uberibus committerent. Quod si alumnos alere non possent, tamen concessit ut traderetur infans ei nutrici quæ, quum sobria, casta, integrisque moribus esset, nec malam valetudinem, nec ingenii corruptelam lactenti conferret. Quippe qui non parvi referre existimaret quo modo, et quibus in locis puellæ educarentur et adolescerent. Quare nihil horum prætermisit quæ vel ad cibum, vel ad potum, vel ad motum, vel ad vestitum pertinerent. Immodicam curam sane non probavit, probavit diligentem, nec quidquam spectavit aliud quam ut mens sana, id quod Romanis proverbio erat, composito bene corpore, habilior ad omnia evaderet.

Deinceps, quum id temporis « fusus » et « colus » omnium quidem mulierum « instrumenta (1) » nemini non esse viderentur, ac plerique compertum illud haberent « sexui fœminino litteras ad famam esse inutiles (2) », tamen ipse tantum prorsus ab hac abhorruit sententia, ut saluberrimas litteras putaverit. Illa quippe potissimum causa, hoc est ignorantia,

(1) Erasm. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p 552.
(2) Id. *Epist.*, T. I. L. XVII.
Epist. G. Budæo, p. 760.

puellarum pudicitiam periclitari egregie animadvertit. Itaque gravissime contendit, quum nulla res tantum animos quantum studium occupare soleat, gravissima e litteris et utilissima præcepta hauriri posse, quæ mentem ad rectum instigarent et inflammarent, et hoc frugiferas esse litteras, quod « quo magis exercentur », eo magis dulces fiant, neque « cultorem (1) » usque ad ultimam senectutem deserant. Illos vero qui putabant minorem in puellis inesse pietatem, quia minor in iis inesset inscitia, lepidissime impugnavit, utpote qui mallet « talentum auri puri, quam tria talenta multo plumbo scorioque vitiata », et irrideret mulierculas istas, quæ sic a concione redire solebant, ut mirifice fuisse concionatum qui dixit » prædicarent, ac vultum hominis « graphice (2) » depingerent, at recensere non potuissent quid ille dixerit, vel si quid stulte, si quid extra rem exciderit.

Præterea quum ægre ferret « Milesias » illas « fabulas », de quibus supra diximus, in puellarum omnium ore et sermone esse, graviores nec non utiliores antiquitatis auctores legendos quam diligentissime commendavit. Maximi enim referre arbitrabatur quibuscum scriptoribus puellæ versarentur, quibus opinionibus imbuerentur, quibusque exemplis formarentur, nedum probaret amatorias istas « historias » atque « cantiones » (3) quarum bona pars adeo non obscœnitate vacabat, ut « talium næniarum artifices deberent cæsi

(1) Erasm. *Christ matrim. Inst.*, T. V. p. 553.
(2) Id. *Epist.* T. I. L. XVII.
Epist. G. Budæo, p. 760.
(3) Id. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 598.

flagris sub carnifice, pro lascivis lugubres canere cantilenas (1) ». Quare eisdem fere finibus, quibus Vives, aptam ad puellas doctrinam circumscripsit, amœnasque artes longissime esse rejiciendas existimavit. Sed quod Vivi objurgavimus, id item Erasmo objurgaverimus, qui ingenuis puellis optime consuluerit, plebeias vero omnino prætermiserit, nisi fuerit satis illud quod de tanta re dixit : « Certe moneri divites possunt, ut si quos viderint pueros e pauperibus quidem, sed generosa indole natos, eos suis impendiis curent educandos, aut suis liberis adjungant, ut sub eodem pædagogo pari cura instituantur. Multa quidem sunt eleemosynarum genera, quibus opulenti commercantur regnum Dei, verum sciant hoc esse præcipuum Deoque gratissimum eleemosynæ genus (2) ».

Postremo non virginem tantum informandam suscepit, quæ in « monasterio » mancam, aut potius inutilem plane vitam degeret, sed matrem illam quæ « marito per omnia » satisfaceret, « familiam » contineret « in officio (3) » liberorumque mores fingeret. Quare matrimonii dignitatem et laudem non semel extulit, « quod ipse Dominus Jesus haud gravatus est conjugatis non solum honorem habere multis modis, verum etiam vivendi formam præscribere », et ipse pro sua parte attulit aliquid quo conjuges admoneret quemadmodum in hac sanctissima societate, « quam a Christo traditam et honestatam susceperunt (4) »,

(1) Erasm. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 598.
(2) Id. *Ibid.*, T. V. p. 596.
(3) Id. *Epist.* — *Epist. G. Budæo*, T. I. L. XVII. p. 761.
(4) Id. *Christ. matrim. Inst.*, T. V. p. 513.

felicissime viverent. Quod quidem quum ex honestissimis causis proficiscebatur, tum vero non ita mirandum erat, si reputaveris quæ fuerit Erasmi sententia de « monasteriis » quæ « vitæ ergastula, non sine instinctu Satanæ inducta (1) » fuisse existimabat. Atque adeo non putabat alliciendas ad « monasticam vitam » puellas, ut acerrime reprehenderit « quorumdam Pharisaïcorum improbitatem », qui, « juxta testimonium Evangelicum », per omnes divitum ædes, per omnes scholas, per omnia convivia obambulabant. Et quam ob rem, dii boni ? Ut « proselytum aliquem (2) » in nassam allicerent, vixque credendis artibus puerorum ac puellarum credulitati insidiarentur. Quippe noverant ætatem et injuriæ et fraudi idoneam, eosque pertrahebant in id vitæ genus, unde semel irretiti se extricare non potuissent.

Sed nobis non in animo est singula odiose recensere quæ Vivem inter et Erasmum communia passim repeiuntur, quum ea fere innumerabilia sint. Nec mirum ; quippe eodem tempore ambo vixerunt, nec non iisdem auctoribus imbuti sunt, imo utrique par antiquitatis amor, par scholasticæ confusionis odium, par recentioris philosophiæ cognitio, ac de vitæ quoque genere inter eos quidam consensus fuit.

Tum floruit Lutherus ille qui, quum quereretur omnia gymnasia « collabi (3) », atque « aliam vivendi rationem et viam Deo acceptiorem et liberis magis

(1) Erasm. *Epist.* — *Epist. Liv. Ammonio Cartusiano*, T. I. L. XXV. p. 1361.

(2) Id. *Epist.* — *Epist. L. Grunnio*, T. I. L. XXV. p. 1283.

(3) Lutheri. *De inst. pueris*, T. VII. p. 438. v°.

salutarem (1) » afferre vellet, puellarum institutionem quasi in cursu etiam attigit. Etenim quam « res seria » esset, quam « ingens », et quæ « Christi universæque Christianitatis » interesset « pie » et « christiane (2) » educari puellas, egregie et ipse intellexit. Itaque volebat « per dies singulos » scholas illæ adirent « saltem ad unius horulæ spatium », quum « ductandis choreis, aut sertis concinnandis (3) » longe pejus operam dare solerent, iisdemque fere verbis, quibus Vives, admonuit quam salutaris litterarum vis esset, quæ, præterquam quod « damnosæ » non essent, « etiam ornatum uberiorem, decus, utilitatem (4) » afferebant.

Qua in mente, putabat « optimas scholas de integro erigendas esse ex æquo pro masculis proque puellis », ut « ad conservandam reipublicæ tranquillitatem (5) » viri nec non mulieres peritiores evaderent. Sed in his discendi ludis non jam « Donatus » iste memoria hauriebatur, aut frigidissimi « Alexandri (6) » versiculi, aut « vanissimi perniciosissimique indoctissimorum Monachorum libri, *Catholicon*, *Florista*, *Græcista*, *Labyrinthus*, *Dormi secure*, atque id genus asinini stercorarii a malo genio invecti » ; at « classicorum scriptorum (7) » opera, quæ tanti quanti « sericum, byssum, purpura, vina exotica, pulveres aromatici, et quidquid

(1) Luth. *De inst. pueris*, T. VII. p. 439. r°
(2) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 439. v°.
(3) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 445. v°.
(4) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 441. v°.
(5) Luth. *De inst. pueris*, T. VII. p. 444. v°.
(6) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 145. r°.
(7) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 445. v°.

præterea peregrinarum est mercium (1) » æstimanda Luthero videbantur. Attamen quum « christianis... scripturæ sacræ exercendæ studium (2) » potissime conveniret, « primum locum merito » obtinebat « Theologia utriusque Testamenti », deinde « græca latinaque lingua », et inter omnia annales, chronica, et historiæ quacumque lingua ad posteros transmissæ (3) ». Inde non illum modo studiorum fructum esse futurum, id est nescimus quam morum civilitatem atque elegantiam, sed fieri posse ut puellæ « audirent ex historiis rerum gestarum dicta ac facta totius urbis, ut huic regno, principi, viro privato, aut mulieri tandem hoc aut illud consilium successisset », et « brevi tempore totius ab initio mundi conditionem, vitam, mores, consuetudinem, consilia, strategemata, successum rei salvæ et perditæ tanquam in speculo contemplari (4) » possent.

Existimamus hactenus similitudinem quamdam Vivem inter atque Lutherum deprehendi posse ; sed et diversissima quædam facillime agnoveris, quæ quum ex nativa ingeniorum diversitate, tum ex eo quod variis studiis instituti variisque ex principiis ambo sunt profecti, derivata esse videantur.

Lutherus enim quum Germanos doleret « asinos, truncos, caudices, fungos plumbeos, stupidos esse (5), » et juvare cura prudentiaque docere « confusam vulgo

(1) Luth. *De inst. pueris*, T. VII. p. 441. v°.
(2) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 443. v°.
(3) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 447. r°
(4) Luth. *De inst. pueris*, T. VII. p. 444. v°.
(5) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 439. V°.

multitudinem..., utpote sanæ educationis imperitam (1) », potissimum in animo haberet, non iis modo consuluit ingenuis puellis quas erudiendas Vives Erasmusque susceperant. Sed quum nihil antiquius haberet, quam ut reformatam religionem in omnium mentibus inculcaret, nec tacere vellet « priusquam Christi justitia fulguris instar (2) » eluxisset, plebeiis, ignobilibus, inferioribus atque humilioribus puellis instituendis operam præcipue dedit. Quare scholas requirebat atque desiderabat eas, in quibus non antiquitatis tantum opera discerentur, sed etiam, id quod Vives et Erasmus omnino respuerant, patrius sermo de quo multo uberius locutus est. Imo quam diligentissime providerat, quemadmodum non isti, mehercule, « boves Cyprii, aut porci Acarnanii, hoc est brutissimi (3) » ; verum tam scientia quam virtute spectati magistri educandæ juventuti præficerentur. Atque, ad id perficiendum, impendendam jure putabat pecuniam eam, quæ « pro redimendis indulgentiarum imposturis, legendis missis, dissolvendis vigiliis, testamentis satisfaciendis, reparandis anniversariis, explendis monachis..., et quidquid hujus farinæ reliquum (4) » erat, tam inepte et tam ingrate profundebatur.

Nunc si paulum examinaveris recentiorum opera scriptorum qui puellarum institutionem procuraverunt, probe agnosces quam multa Vivi et illis cognata reperiantur.

(1) Luth. *De inst. pueris*, T. VII. p. 444. V°.
(2) Id. *Ibid.*, T. VII. p 438. V°.
(3) Luth. *De inst. pueris*, T. VII. p. 441. V°.
(4) Id. *Ibid.*, T. VII. p. 439. V°.

Nonne enim acutus ille vir et natura usuque callidus, Fenelo (1), adeo cum Vive consentire videtur, ut in iisdem fere fundamentis, quibus et ipse Vives, suam disciplinæ rationem posuerit? Quippe in illo egregio libello, quem jam prope perfectum dicere auderes, ab iisdem principiis orditur, ut maxima et amplissima tantummodo amplectamur, nec non ad idem spectat. Quis enim non fateatur in duas partes dividi posse rationem cujus auctor fuit nostras? Jam vero cunctis puellis propositum est illud, ut grammaticæ, arithmeticæ, religionisque rudimenta non omnino ignorent; iis autem quæ sive in aula, sive in urbe vivent, ut græcam, latinam, gallicamque historiam odorentur, et item oratorum, poetarum philosophorumque opera delibent. Illud denique ambobus commune potissimum est quod mulierem, non mulierculam instituere in animo habent, nec quidquam monent accuratius quam ut puella, quum nupta erit, mente tota et studio omni in domesticam rem incumbat.

Hunc proxime insecuta est mulier (2) illa, quæ, quum nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum in animo admitteret, nec nubes captaret, intra quotidianæ utilitatis fines suam disciplinam inclusit. Præclaram, mehercule, magistram, prudentia divina et alta mente nec minus firmo judicio præditam! Excepto autem quod seria longe rejecerit studia quæ commendaverat Vives, cætera fere retinuit præcepta quæ

(1) Fénelon. *De l'Education des filles.*

(2) Maintenon (Madame de), *Lettres et entretiens sur l'Education des filles,* par Th. Lavallée. Paris, 1861.

jam in *Institutione fœminæ christianæ* reperiuntur. Vide enim quæ per epistolas, per sermones, per colloquia sparserit de doctrina puellis apta, qua absolutæ evaderent et contra varios vitæ casus munirentur, de lectione quam et utilem et frugiferam putabat, de domestica re curanda qua nativum vigorem exercerent, de pietate, de morali scientia in qua eminebat, de usu rerum, de fortuitis ferendis, de puerorum institutione, si haberent, quemadmodum illos efficerent non locupletes, neque civili dignitate honestos, sed probos, sed pios, sed omni virtute præditos, probeque jam agnoveris quam multa ambobus communia fuerint.

His autem omnibus eum addiderimus virum, ut cæteros omittamus, imprimis honestum eumdemque eruditissimum, et græcis litteris et latinis ornatum antiquitatisque peritum, omnino virum (1) egregium. Namque si ea evolveris atque in unum quasi corpus coagmentaveris quæ non in uno explicuit libro, quam multa cum *Institutione fœminæ christianæ* congruere compereris! Jam vero, ut Vives olim, sic et ipse non leve quoddam et jocosum, sed serium et grave discendi genus ordinavit, nec unam e multis erudiendam suscepit mulierem, sed nobilem, divitem, illustri loco ortam, cui non vilis ac communis, at magnifica et quodammodo generosa disciplinæ ratio convenit. Non quod in animo informare habuerit nescimus quam doctam mulierem, quæ « curtum sermone rotato » torqueret « enthymema (2) »; illam potius effinxit

(1) Dupanloup. *Quelques conseils aux femmes chrétiennes qui vivent dans le monde sur le travail intellectuel qui leur convient.*
(2) Juven. *Sat. VI.*

quæ doctrinis ita tingeretur, ut inertissimum et desidiosissimum otium vitaret, ex quo omnium malorum cohors proficiscitur; quæ domum, ut amabilem provinciam, coleret atque diligeret, quæ non modo, ut fit, nugas effutiret, at graviter nec non festive cum marito loqueretur, quæ ejus ipsius vitam incredibili voluptate quadam aspergeret, quæ denique proprios liberos prima rudimenta docere posset. Quare litteris nec eis vulgaribus, sed interioribus ac reconditis imbuebatur ea mulier cujus speciem in mente expressam ille comprehenderat. Jam non se nutriebat iis nugatoriis operibus, quibus mel veneno miscetur, et unde nescimus quid oritur « quod jacit undique ignem ardentiorem et magis fœtidum quam sit ignis græcus et sulphureus, ignem luxuriosorum verborum admodum immundorum et prohibitorum (1) » ; sed pleniorem Cartesii, Bossuetii, Paschalis, Cornelii, nonnullorumque aliorum succum tantummodo pascebatur. Philosophiam præterea aggrediebatur, non ita tamen ut ejus mysteria scrutaretur, sed delibaret, nec ingenium in conterendis argutiis depravaret. Ad hæc addebat rerum gestarum memoriam, maxime ad recte sentiendum idoneam, aliquam juris cognitionem, et ante omnia alia tenebat religionis scientiam, quæ cujuslibet institutionis fundamentum existimanda est.

Quid ab ipsis doctrinis breviter inter se comparatis colligatur, apertissime apparet. Jam cuncta ita in animo comprehendit, ita composuit, ita coagmentavit Vives, ut

(1) J. Gersonii. *Tract. contra Romantium de Rosa*, T. IV. Col. 935.

recentiores scriptores, seu dedita opera, seu casu quodam, eadem quæ vetus ille magister præceperat, libaverint, atque degustaverint. Quis nunc nobis non concesserit Vivem tanquam uberrimum illum fuisse fontem e quo cæteri, quamvis non fuerint inter se pares, postea fluxerunt?

CONCLUSIO

Qui fuerit Vives, quæ de tenera puellarum ætate disseruerit, quam doctrinam eis necessariam putaverit, quid ex antiqua disciplina servaverit, quatenus extra tritam viam flexerit, quid ab eo mutuati sint ii qui eamdem rem illustrandam susceperunt, examinavimus. Jam ex hac nostra disquisitione facile apparet quam multa sagaciter explorata, quam multa egregie explicata, quam multa prudenter enucleata, at simul et obsoleta, dissona, et, ut ita dicamus, manca in *Institutione fœminæ christianæ* reperiantur. Sed id mirari jam desines, si reputaveris quibus et quam turbidis temporibus vixerit Vives. Inciderat enim in eam ætatem qua majorum disciplina consenuerat, necdum tamen posterorum orta erat, et ob eam ipsam causam, vetera et nova, vera et falsa commiscebantur. Quæ in republica, eadem in animis erat perturbatio.

Quamvis rem susceptam inchoavisse potius quam perfecisse videatur, tamen fuit is quem illa tempora ferre potuerunt. Itaque non quantum profuerit, sed quantum prodesse voluerit, æstimandum est, quoniam, ut ait Tullius, « nihil est simul inventum et perfectum (1) ». Jam veremur ne amore plura quam fuerint

(1) Cic. *Brutus*, C. XXXVI.

in eo dicere videamur. Noli tamen putare quemquam alium ejusdem ætatis plenius et uberius de puellis instituendis disseruisse. Non enim, ut sæpe fit, de arte disputavit quam nunquam didicerat; sed illa ipsa quæ in suum opus retulit, non studio tantum, verum etiam experientia assecutus erat, præsertim quum non minorem e vitæ usu quam e libris sapientiam hauserit. Post tot annos, e longinquo ipso, melius licet oculis et mente judicare quantum inter omnes æquales suos eminuerit. Primus enim spinas evellit quibus impediebatur iter, primus a pristina consuetudine ad novam disciplinam puellarum institutionem adduxit, primus viam quamdam ratione et præceptis munitam posteris tradidit, et quasi digito indicavit quem ad finem tendere oporteret eos qui ea de re scribendi munus postea susceperunt. Ita sentire et agere ingeniosi et audacis viri erat cui maximum acumen fuit, quique futuram recentiorum temporum opinionem divinavit. Quare totam illam *Institutionem fœminæ christianæ* suo jure quodammodo vindicare potest, quamvis ab antiquitatis scriptoribus non pauca, ut erat ingenue doctus, assumpserit. Jam ejus opus evolventibus multa obversantur, quæ non dubitare sinunt quin simplex illud et perfectum, quo præclarorum ingeniorum scripta signari solent, plane ibi appareat. In quo incorrupta quædam latini sermonis integritas est, scribendique non jejuna atque nuda, sed aspersa atque distincta multarum rerum varietate facultas. Nec mirum, si reputaveris quam multa auribus acceperit, quam multa viderit, quam multa animo et cogitatione judicaverit, quam

multa denique legendo percurrerit, quæ propriis opibus et divitiis simul accreverunt.

Hæ sunt, ni fallimur, præcipuæ causæ cur in memoriam *Institutio fœminæ christianæ* revocanda esset. Hanc autem quæstionem quum nobis ut indagatione dignam benigne comprobavisset vir idem et humanissimus et — venia ejus bona dixerimus — severissimus existimator, Marion, hoc opus a tenebris atque silentio vindicare aggressi sumus. Quod si munus susceptum absolverimus, nos pretium operæ fecisse sperabimus, et satis officio nostro factum esse arbitrabimur.

CATALOGUS PRÆCIPUORUM NOMINUM QUÆ HOC OPUSCULO CONTINENTUR

TABULA

CAPUT PRIMUM

CAPUT II

CAPUT III

CAPUT IV

CAPUT V

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. XVI Kal. mart. ann. M.DCCC.LXXXVIII
Facultatis Litterarum In Academia Parisiensi Decanus.
A. HIMLY.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis Rector.
GRÉARD.

LUGDUNI. — EX TYPIS STORCK.

ERRATA

Pro *chistiana,* p. 33. vers. 15. Lege : *christiana.*
Pro *accomodantur,* p. 36. vers. 30. Lege : *accommodantur.*
Pro *assimilatum,* p. 38. vers. 13. Lege : *assimulatum.*
Pro *precipuum,* p. 44. vers. 6. Lege : *præcipuum.*
Pro *nequisimum,* p. 51. vers. 7. Lege : *nequissimum.*
Pro *et subsidium,* p. 52. vers. 3. Lege : *subsidium et.*
Pro *ant,* p. 57. vers. 6 Lege : *aut.*
Pro *subragreste,* p. 59. vers. 13. Lege : *subagreste.*
Pro *unusquique,* p. 62. vers. 8. Lege : *unusquisque.*

Præterea exciderunt ex typis aliquot verba in quibus pro *œ* legendum est *æ*, et vice versa ; quæ errata ipse lector emendabit.